This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.



GENERAL LIBRARY
OF
UNIVERSITY OF MICHIGAN

PRESENTED BY
Franklin H. Walker
DEC 1824



878
V90
D

V.13

ANNOTATIONES CRITICAE

IN

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDEM.

ANNOTATIONES CRITICAE

IN

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDEM.

SCRIPSIT

IACOBUS MARINUS VAN GENT.

Tollitur arte malum.

LUGDUNI BATAVORUM
APUD E. I. BRILL.

MDCCCLXIV.

PRAEFATIO.

Iusto diutius esse, ex quo e literaria nostra officina φρόντισμά τι prodiit, ipse non sine pudore sentio et ingenue fateor. Quocirca, quum et Musis et mihi ipsi me aliquid debere intellexissem, nonnulla ex adversariis expromere et in lucem protrahere est visum. Scrutatus parumper incidi in annotationes natas et literis a me mandatas, quum Virgilii Aeneidem propter nobilem Peerlkampii V. Cl. et clari commentarium denuo legerem. Continent autem illae meas qualescunque emendationes, quibus Poetae manum aut temporum iniuria obscuratam, aut librariorum stupore vel incuria deformatam revocasse mihi videor. Mole sua non laborabit liber aut a legendo Lectorem deterrebit. Nam ἄμητος ὀλίγιστος. Consolabitur tamen Lector, uti et ego ipse consolor, et omnino teneat, vel commentariorum plaustris veterum literarum monumenta onerare et obruere facile esse: at neminem quidquam lucrari, nisi quid ad scriptoris textum aut illustrandum aut purgandum et emendandum inde conferatur. Iuvabit autem, si vel unam et alteram Romano vati labem contigerit abstersisse atque effecisse, ut eius carmina paullo legantur emendatiora.

Non sum ego nescius hoc cibi genus haud ita avide esse appetituros, qui inde a pueritia nil nisi vulgata viderunt ac unice probarunt, et, ad lacrimas usque commoti, magna voce declamitarunt aliosque docuerunt, quae ipsi nunquam intellexerunt, nec, alia omnia curantes et agentes, intelligere unquam laborarunt. Nae illi parum sunt memores eorum, quae scite Plautus 1):

Qui e nuce nucleum esse volt, frangit nucem.

Di boni! Quanto praestat tuba istos canere discipulis aut pulsare tympana. Sed abeant potius, citatis equis a Musarum aede avolantes, et sciant, eorum tantum palato talia posse placere, qui, quid verum sit et rectum, inquirunt et sentire valent ac volunt. Beati videlicet, qui verum sentientes confiteri non dubitent:

moniti meliora sequamur! 2)

Ut autem intelligentibus constat, utilitatem et voluptatem e veterum scriptis percipi posse aut nullam aut certe mancam, nisi ita muniatur via, ut praecedat emendata lectio: sic, ubi haec est obscurata, critica arte, quae sermonis peritiae et recto iudicio superstructa esse debet, omnino est opus. Huius igitur artis auxilio fretos, omnibus nervis ac viribus, ut illam nanciscamur, eniti oportet. Etenim videre, ut veterum scriptorum ingenii monumenta sarta habeant tecta, philologi munus est et officium.

Scribebam Delfis Batavorum ipsis Kal. Aprilibus.

I. M. v. G.

---

1) Curc. I, 1, 55.

2) Virg. Aen. III, 188.

ANNOTATIONES CRITICAE

IN

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDEM.

LIB. I.

340. Imperium Dido Tyria REGIT urbe profecta,
Germanum fugiens.

Miror neque Heynium neque Peerlkampium turpissimo, quo deformatur locus, offendi mendo. Quorum ille: »*imperium regit* exquisitius quam *tenet*, *habet*." Mirum quoque et hunc corruptela, ut videtur, deceptum ad Aen. VII, 444. opinari *gerere* idem saepe significare posse quod *regere*, ut in *imperium gerere* et similibus. At vero, ut *imperio regere* optime sese habet Aen. VI, 852:

Tu regere imperio populos, Romane, memento,

sic *imperium regere* pro *imperare* bene Latine non dicitur. Nemo enim, credo, castigatus scriptor dixisset: *Augustus regit imperium Romanum.* Verum, ut trita sunt et optimae notae *magistratum, consulatum, rempublicam, honores suscipere, tenere, gerere, deponere;* sic et *imperium* gerere cet. enixe postulat tersa Augustae aetatis latinitás. Quocirca dubium non est, quin Virgilius hunc cuderit versum:

Imperium Dido Tyria GERIT urbe profecta, cet.

Imperium gerit idem est, quod *imperium exercet, imperat, regnat;* quodque dicitur supra v. 346: *regna habebat.*

De eiusmodi corruptelis, nempe ortis e transpositis literarum figuris in optimis Virgilii Codd. frequentissimis vid. Peerlk. ad Aen. III, 70. Contrario enim vitio Aen. XII, 206. *gerebat* in *regebat* corruptum habet Cod. Montalb.

Tetigi locum Mnemos. Vol. VI, p. 444; sed omnino citandus erat, qui tunc me fugiebat, locus Nep. Epam. 7: *quatuor mensibus diutius, quam populus iusserat*, gessit imperium.

375. Nos Troia antiqua, si vestras forte per aures
Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.

Forte fua et ob modo praecedens *forte* et alias ob causas merito suspecta sunt Peerlkampio, Virgilii manum fuisse suspicanti:

diversa per aequora *ventis*
Iactatos cet.

Quae, quamquam sunt speciosa, tamen paullo longius a vulgatae scripturae vestigiis remota esse videntur; ita ut in ea emendatione palaeographicam illam evidentiam desideres. Dura quoque nec satis Latina verborum iunctura: *nos Troia antiqua — ventis iactatos.* Nec utique credibile est, poetam vocabulum *tempestas* nude et simpliciter hic posuisse. Quapropter eum scripsisse puto:

diversa per aequora vectos
Orta furens Libycis tempestas appulit oris.

Haud scio an aptius et vocabulis magis propriis significari possit saeva illa tempestas, quae Aeneae naves ingruerat, quaeque describitur supra v. 81 sqq. Eadem illa tempestas memoratur infra Aen. X, 36:

Quid repetam exustas Erycino in litore classes?
Quid tempestatum regem, ventosque furentes
Aeolia excitos?

Furere solenne de tempestate et vento. Ipse Virgilius Aen. V, 694:

Tempestas sine more *furit.*

Orta facile abire potuit in *forte*. Pronomen *fuus* miris erroribus passim ortum debet. Sic et infra ad Aen. VII, 319. *fuus* natum videbimus ex *fuit*.

460. Quae regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi:
Sunt lacrimae RERVM ET Mentem mortalia tangunt.

Sunt lacrimae rerum stare non posse recte monet Peerlkampius, legens:

Sunt lacrimae, *reor*, *atque homines* mortalia tangunt.

Sed quoniam aegre caremus dativo, quo referatur nominativus *lacrimae* et quo simul respondeatur ad praecedentia *sunt praemia laudi*, Virgilius mihi scripsisse videtur:

Sunt lacrimae AERVMNIS: *Gentem* mortalia tangunt.

Aerumnae sunt *labores:* quod vocabulum frequentatur in hac caussa poetae. Idem tamen, quoniam modo v. 460. praecessit, iterare non licuit. *Aerumnis* illacrimari solet. Hinc Aen. II, 361:

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet aut possit *lacrimis* aequare *labores*?

Gentem pro *mentem* est e coniectura Burmanni: qua admissa, non opus est, ut cum Peerlkampio

scribatur *atque homines*. Res ipsa eodem redit. Nam *gens* h. l. idem est ac *homines*, quod et paullo longius a scripturae vestigiis abest. Facile quoque caremus copula *atque*. Asyndeton sententiam efficit graviorem et efficaciorem. Loci sensus est: hic etiam i. e. in hac terrarum regione, apud hanc gentem, laudi sive meritis sua sunt praemia: aerumnis lacrimae (i. e. misericordia): hanc gentem mortalia (humanae miseriae) tangunt, percellunt et dolore afficiunt.

Quam parum differant LACRIMAERERVMET et LACRIMAEAERVMNIS nemo non videt. Literae R et A in Codd. saepissime commutantur. Sic, ut hoc utar, in Liv. Fragm. Vatic. XCI, lin. 34 pro IMPERAVIT legitur IMTERRVLT; lin. 159 pro AVTRIGONES scriptum invenitur AVTALCONES. Nec alia corruptela invasit lin. 220: *et C. Insteium, praefectum equitum Segoviam et in* VACREORVM *gentem ad equitum conquisitionem misit*, cet. Ubi Livium dedisse constat VACAEORVM i. e. Vaccaeorum.

Nec me latet Virgilium, si saltem fides habenda Erythraei Indicibus, nusquam usum esse voc. *aerumna*, sed constanter dicere *labor* s. *labores*. Legitur Cir. 57. Sed praeterquam quod, ut iam diximus, voc. *labores* hic omnino uti non potuit

Peerlkampius *laticemque Lyaei.* Dicam quod sentio. Versus a poeta non imperfectus est relictus, ut intelligitur e vocabulo *munera*, sed iniuria temporum aut librariorum incuria misere deformatus, ut patet e corruptela tam feliciter correcta a Peerlkampio. Pro laceris igitur et deformatis ipsam, nisi fallor, poetae manum habebimus scribentes:

Muneraque *flavae Cereris laticemque Lyaei.*

Sic et ipse Virgilius Georg. I, 95:

neque illum
Flava Ceres alto nequidquam spectat Olympo.

670. Hunc Phoenissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus; et vereor, quo se Iunonia vertant
Hospitia; haud tanto cessabit cardine rerum.

Valde displicent *Iunonia hospitia*, utpote contorta et, ut vere dicam, falsa. Nec enim Iuno hospitio excipit Aeneam, sed Dido. *Iunonia* autem *hospitia* aut sunt, quibus Iuno alium quempiam excipit, aut quibus ipsa excipitur. Ut Aen. X, 494., ubi de Euandro Aeneam excipiente recte sic:

Haud illi stabunt Aeneia parvo
Hospitia.

Quapropter equidem non dubito, quin Virgilius pro HOSPITIA scripserit CONSILIA s. CŌSILIA:

et vereor, quo se Iunonia vertant
Consilia.

I. e. quo vergant, tendant Iunonis consilia. Simili modo supra v. 279:

Quin aspera Iuno
Consilia in melius referet cet.

et v. 657:

At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia.

Ita et Aen. II, 691. simili errore pro AVGVRIVM, quod certissima correctione revocavit Peerlkampius, vulgo legitur AVXILIVM. Nec aliter EXITIVM et EXILIVM commutantur Aen. X, 850.

Quam facile similia similibus commutentur, demonstrare lubet impeditissimo loco Tacit. Agric. 6., ubi vulgo legitur: *vixeruntque* (Agricola et Decidiana) *mira concordia, per mutuam caritatem* et invicem se anteponendo; nisi *quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est.* Qui locus difficillimus est ob voc. *nisi*, quod eiectum voluit Muretus. Vid. Peerlk. ad h. l., qui et hanc proponit coniecturam: *per mutuam caritatem et invicem se anteponendo* nisi: *quod* cet. Interpretatur autem: *nisi: nitentes, certantes*, alter alterum superare conantes.

Videndum tamen an forte dederit Tacitus: *et invicem se anteponendo* usi: *quod* cet. Ita se invicem Agricola et Decidiana sunt usi, ut nunquam

alteruter semet ipsum alteri, sed contra alter alterum sibimet ipsi anteponeret. *Uti*, ut Graecorum χρᾶσθαι, solenne in hac caussa pro *cum aliquo vivere, consuetudinem habere;* et *non uti aliquo* vel *aliqua re* ei opponitur. Horat. Epist. I. 17, 13:

Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus. Si sciret regibus uti
Fastidiret olus, qui me notat.

Nep. Eum. 12: *Si illi* (Eumeni) *redderet salutem* (Antigonus), *quaerebant, quibus amicis esset usurus.* Attic. 5: *Utebatur autem Atticus intime Q. Hortensio.* Memorabilis quoque et dignissimus, qui cum Taciti verbis comparetur, est locus Terent. Andr. I, 1, 35:

Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati
Cum quibus erat cumque una; iis se dedere,
Eorum obsequi studiis; advorsus nemini:
Nunquam *praeponens se illis.*

672. Quocirca capere ante dolis et cingere flamma
Reginam meditor, ne quo se numine mutet,
Sed magno Aeneae MECVM teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.

Ob difficilem interpretationem locum suo iure corruptum esse putat Peerlkampius et omnino scribendum censet: *mentem incendatur.* Sed, quoniam

mentem statim, versu sequenti, recurrit: equidem, ob ingratam eiusdem vocabuli repetitionem, aliam emendandi viam ingrediendam esse arbitror et poetam dedisse suspicor:

Sed magno Aeneae PECTVS teneatur amore.

Sic et Aen. III, 298:

— miroque incensum *pectus* amore.

Nec multum differunt MECVM et PECTVS.

LIB. II.

12. Quamquam animus meminisse horret, *luctuque* Incipiam. [*refugit*;

Difficultatem, qua locus praemitur, sensit et egregie ostendit Peerlkampius, dubitanter coniiciens: *refugitque dolore* vel *luctu refugitque*; aliis tamen rem expediendam relinquens. Ego longe aliam sanandi viam ingrediendam esse existimo. Nimirum supra v. 3. a Didone rogatus, ut fata sua enarraret, respondet Aeneas:

Infandum, Regina, iubes renovare dolorem.

Quae eo ducunt, ut perfacile ipsam Poetae manum revocare possis legendo:

Quamquam animus meminisse horret, *luctusque* [*refurgit*.

Peerlkampius, per se quidem sanum praebet sensum, sed huic loco non convenit; nam hoc significaret omnia *crimina*, quod hic non quaeritur. Verum, quod poeta significare studet hoc est: ab uno hoc crimine (Sinonis dolo, cet.) disce quali indole et ingenio sint Danai. Unum hoc crimen indicio esse potest, quales sint. Tenendum utique est, *disco* pro passivo esse verbo activo *doceo:* et *disco ab aliquo* idem esse ac *aliquis me docet.* Verborum igitur sensus hic est: vel unum hoc crimen te docere potest, non, quales sint *omnes* Danai, sed, quod genus hominum, quales *homines* sint Danai. Hinc proclivis emendatio:

Accipe nunc Danaum insidias et crimine ab uno
Disce HOMINES.

Ita prorsus voc. *homo* saepius usurpant Latini, ut Graeci ἀνήρ. Hom. Od. 9, 173:

αὐτὰρ ἐγὼ σὺν νηΐ τ' ἐμῇ καὶ ἑμοῖς ἑτάροισιν
ἐλθών, τῶνδ' ἀνδρῶν πειρήσομαι οἵτινες εἰσίν.

Sic et ipse Virgilius infra v. 539. de Carthaginiensibus:

Quod genus hoc *hominum*, quaeve hunc tam barbarum morem
Permittit patria? Hospitio prohibemur arenae.

Iam Caesar B. G. IV, 20. de Britannis, ad quos profecturus erat, magno sibi usui fore arbitrabatur, si *genus hominum* perspexisset.

Crimen est opprobrium, dedecus. Usurpatur et de homine. Virgil. Aen. XII, 600., ubi Turnus

Se caussam clamat crimenque caputque malorum;

i. e. auctorem opprobrii, *αἴτιον τοῦ σκανδάλου*.

Significant igitur Virgiliana: unus hic improbus et scelestus homo te docere potest, quale hominum genus sint Danai. Atticus dixisset: *ὁποίου κόμματος*. Nostrates: *wat slag van volk, van menschen.*

LIB. IV.

31. Anna refert: O luce magis dilecta sorori,
Solane perpetua moerens carpere iuventa?
Nec dulcis natos, Veneris NEC praemia noris?

Non una difficultate premitur locus, de quo omnino consulendus est Peerlkampius. »Potuisset" inquit V. C., *Nec dulcis natos, Veneris pia praemia noris.*" *Veneris praemia* per appositionem referenda sunt ad *natos:* quo facto intelligitur coniunctionem *nec* stare non posse, quia non de diversis, sed de una eademque re est sermo. *Veneris* enim *praemia* non sunt voluptates et oblectamenta coniugii, sed huius fructus: *liberi.* Nam matrimonium initur liberorum procreandorum caussa.

Poetae manum, me iudice, facile revocaveris facta parenthesi et lenissima mutatione:

Nec dulcis natos, (Veneris HAEC praemia), noris?

Nec desunt similia interiectae orationis exempla. Ipse Virgilius Aen. VI, 852:

Tu regere imperio populos, Romane, memento;
(Hae tibi erunt artes): pacisque imponere morem cet.

Ibid. XII, 643:

Exscindine domos, id rebus defuit unum,
Perpetiar?

Ovid. Heroid. XII, 89., ubi Medea de Iasone amorem declarante:

Haec animum (et quota pars haec sunt) movere puellae
Simplicis: et dextrae dextera iuncta meae.

Valer. Fl. III, 294:

Extinguine mea, fatis hoc defuit unum,
Speravi te posse manu.

Nec et *haec* saepius confunduntur Vid. infra ad Aen. X, 607.

74. Nunc *media* Aenean secum per moenia ducit
Sidoniasque ostentat opes, urbemque paratam;
Incipit effari, mediaque in voce resistit.

Offendor in voc. *media* bis posito in eadem sententia. Si bene attendimus, apparet Virgilium diversa diei partes vel momenta indicare voluisse, qui-

bus Aeneae consuetudinem, qua per totum diem tam aegre carebat, quaerebat Dido: *Nunc eadem, labente die;* tum: *Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim Luna praemit, suadentque cadentia sidera somnos.* Quae quum ita sunt, cogitare subit et v. 74. *Nunc media* cet. tale temporis momentum vel diei partem vix omitti potuisse a poeta. Quocirca olim scriptum fuisse suspicor:

Nunc *mane* Aeneam secum per moenia ducit cet.

Quibus egregie respondent: *labente die* et *lumenque obscura* cet.

471. Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit, ultricesque SEDENT IN LIMINE [DIRAE.

Quam misere habitus sit Aeneidis Virgilianae contextus, vel ex uno hoc loco intelligitur. Pro *scenis agitatus* Peerlkampius egregie reposuit *scelere exagitatus;* cetera intacta relinquens. De quibus sic V. C.: »Si non excidit versus, quo indicatum fuit templum Apollinis, Virgilius obscure scripsit." Ego vero nec excidisse aliquid, nec obscure scripsisse Virgilium putaverim, sed interiore labe locum inquinatum esse crediderim. Mirum tamen, nisi quid inde bonae frugis possit extundi. Considera mihi,

quid sana ratio postulet, et apparebit loci sensum esse hunc: sic Dido in somnis agitatur ab Aenea, veluti Pentheus demens videt (i. e. in dementia videre sibi videtur) Eumenides, solem geminum et duplices Thebas; aut quum sceleris conscientia furens Orestes fugit matrem facibus serpentibusque armatam et Diras ultrices, nemine eum insequente. Fugit Orestes, quamquam nemo eum agitat, sibi visus videre matrem et Furias se persequentes. Ob oculos Virgilio versabantur Electrae verba apud Eurip. Orest. 245. Orestae dicentis:

ὁρᾷς γὰρ οὐδέν, ὧν δοκεῖς σάφ' εἰδέναι.

Ubi tamen sine dubio legendum σαφῶς ἰδεῖν. Quapropter ego Virgilium non scripsisse puto SEDENT INLIMINE, sed, quod a scripturae vestigiis parum abest, SEQVENTINEMINE. Pro DIRAE reponendum esse DIRAS sponte intelligitur. Itaque legendum:

Aut Agamemnonius scelere exagitatus Orestes,
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit ultricesque, *sequenti nemine*, *Diras*.

Sequi pro *insequi*, *persequi* usurpatur ipsi Virgilio Aen. XI, 674:

sequiturque incumbens hasta
Tereaque Harpalycumque cet.

Ovid. Metam. II, 499:

Dumque feras sequitur.

ibid. II, 578:

Vim parat et sequitur. Fugio cet.

Nam apud Latinos *fugio* pro passivo est verbo *sequor*, *persequor*, *insequor*; plane eodem modo quo Graecis διώκειν et φεύγειν. Eadem ratio obtinet in *verbero* et *vapulo*, *facio* et *fio*, *vendo* et *veneo*, *aestimo* et *liceo*.

Ablativus *sequenti*, in *i* desinens, in poeta neminem potest offendere. Ovid. Metam. VIII, 189. de Daedalo:

Nam ponit in ordine pennas
A minima coeptas, longam breviore sequenti.

Utrum ego in hoc loco expediendo rem acu tetigerim, aliorum est iudicium. Tenendum autem est emendationum genera omnino esse duo. Alterum ex accurata linguae notitia petendum, quo scriptoris verba corrupta ad sermonis leges revocantur. *Correctionem* eam non immerito dixeris. Alterum non magis sermonis peritiae, quam communi sensui, iudicio et verum inveniendi facultati ortum debet. Illud genus certum est et linguae leges callenti facile: hoc vero longe difficillimum et incertum, quippe quo scriptoris mens est divinanda.

620. Sed cadat ante diem *mediaque* inhumatus arena.

Heynium omnia interpretari studentem silentio

praeteribimus. Orationem non esse absolutam recte animadvertit Peerlkampius, suspicatus excidisse hemistichium, in hunc modum:

Sed cadat ante diem mediaque inhumatus arena
Praeda feris iaceat.

Sed criticae arti certi quidam sunt fines, quos transgredi non licet. Quapropter tutius est statuisse corruptela laborare voc. *mediaque* et poetam scripsisse:

Sed cadat ante diem *iaceatque* inhumatus arena.

Sic et Aen. IX, 485. *terra ignota iaces*. *Arena* nude positum legitur Aen. XII, 382:

Abstulit ense caput truncumque reliquit arenae.

Corruptelae caussa haec est. Vocabulum *mediaque* ortum est e male repetitis literis voc. *diem;* unde, transpositis literarum ductibus, facile elicias *iaceatque*.

624. Nullus amor populis, nec foedera sunto.
Exoriare aliquis nostris EX ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires.

Nullo modo ferri posse praepositionem *ex* idoneis argumentis evincit Peerlkampius. Primum, quoniam Dido nullam habuit prolem, deinde, quia, si habuisset, non ex *ossibus* eam, sed e *gremio*, *utero*, *ventre* profectam dici oportuisset. Cui difficultati

ut occurreret, pro EX scribendum censuit HINC. Quod quidem ego libenter amplecterer, nisi iusto longius a scripturae vestigiis recederet. Nam, etsi egregiam et aptam exhibet sententiam, tamen haud facile aliquis dicat, quomodo HINC abire potuerit in EX. Quid multa? Ipsa poetae manus redibit, si legatur:

Exoriare aliquis nostris REX ossibus ultor.

Fuit enim revera, qui hic portenditur, Hannibal, *rex* Carthaginiensium. Nep. Hannib. 7: *Hic, ut rediit, praetor factus est, postquam* REX *fuerat, anno secundo et vigesimo.* Nec tantum praecatur Dido, ut utraeque gentes se invicem oderint atque dimicent: sed, uti ipsa *regina* fuit, ita et aliquando rex reginae, par pari, exoriatur ultor. Tolle voc. *rex* et loci gravitas et elegantia, ex oppositione orta, perit. Ut hoc Virgilii loco memoratur *aliquis rex ultor*, sic et haud dissimili modo loquitur Romulus apud Liv. I, 10: *Iupiter Feretri, haec tibi* victor *Romulus* rex *regia arma fero.* Gaudet talibus Virgilius. Nam, ut hic *rex ultor* pro *regius ultor*, ita et *populus late rex*, Aen. I, 21; *venator canis*, XII, 751. pro *canis venaticus; lupi raptores* pro *rapaces*, II, 355; *bellator equus*, X, 891.

Ceterum *ossa* h. l. significat *funus, mors; ossi-*

hus ultor est ultor meae mortis, aliquis qui meam mortem ulciscatur.

Vides quam facili negotio, una tantummodo litera addita, interdum sanari possit corruptela. Obiter idem experiar in obscurissimo loco Eurip. Alc. 320:

Ἀλκ. δεῖ γὰρ θανεῖν με· καὶ τόδ' οὐκ ἐς αὖριον
οὐδ' ἐς τρίτην μοι ΜΗΝΟΣ ἔρχεται κακόν,
ἀλλ' αὐτίκ' ἐν τοῖς οὐκέτ' οὖσι λέξομαι.

Ubi quid sibi velit voc. μηνός difficile est dictu. Musgravius coniecit Κηρός, mihi quidem parum satisfaciens. Accuratius locum perpendenti veri simillimum mihi est visum, alia medicina vulnus egere. Ecquis enim est, quin admonitus statim sentiat scripsisse poetam:

καὶ τοδ' οὐκ ἐς αὖριον
οὐδ' ἐς τρίτην μοι ΣΜΗΝΟΣ ἔρχεται κακῶν κτέ.

Vocabula enim σμῆνος, ἐσμός, ὄχλος, φόρτος cet. usurpantur a Graecis de magna multitudine, πλῆθος. Eodem modo Plato Crat. 401. e. Socratem inducit dicentem: ὦ 'γαθέ, ἐννενόηκά τι σμῆνος σοφίας. Quod nihil aliud significat nisi *magnam sapientiae vim*. Memoratur et τῶν ἡδονῶν σμῆνος Rep. IX, 574. d. In qua causa itidem invenitur ἐσμός, ut ibid. V, 450. b. Quae quemadmodum corrupto Euripidis loco conveniant, non est quod dicam. Nec enim unius tantum calamitatis sollicitudine gravaba-

tur Alcestis: nam ingens illud, quod eam circumvenerat, malorum examen omnia ea continet mala, quae inde a v. 305. usque ad h. l. enumerantur. Sic quod v. 405. ab Admeto *συμφορά* dicitur, idem illud v. 415. vocatur plurali numero a Choro *συμφοραί*. Et ipse Admetus v. 557:

καὶ πρὸς κακοῖσιν ἀλλὸ τοῦτ' ἂν ἦν κακόν κτἑ.

Graecae locutioni *σμῆνος κακῶν* accurate respondent Latina ignoti Tragici apud Cic. Div. I, 31., ubi Cassandra vaticinatur:

Iamque mari magno classis cita
Texitur: *exitiûm examen* rapit cet.

Quodsi Latinus poeta, ut probabile fit, sua de Graecis vertit, pro *exitiûm examen* apud Graecum poetam eum legisse dixeris *κακῶν σμῆνος*. Romanis enim in talibus praeierunt Graeci. Ceterum videantur quoque Aeschyl. Prom. 313., ubi pro *χόλον μόχθων* dudum correximus *ὄχλον μ.* ibid. v. 833. *ὄχλον λόγων*. v. 1022. *κακῶν τρικυμία*. Eurip. Hippol. 834. *κακῶν πέλαγος*. Iphig. Taur. 1306. *φόρτος κακῶν*.

At contra interdum locus una demta litera sanum sensum recuperat. Hoc luculento exemplo ostendam, quod suppeditabit Herod. IX, 14: *ἤδη δὲ ἐν ὁδῷ ἐόντι αὐτῷ ἦλθε ἀγγελίη πρόδρομος, ἄλλην στρατίην ἥκειν ἐς Μέγαρα, Λακεδαιμονίων χιλίους. πυθόμενος δὲ*

ταῦτα ἐβουλεύετο ΘΕΛΩΝ, εἴ κως τούτους πρῶτον ἕλοι. ὑποστρέψας δὲ τὴν στρατίην ἦγεν ἐπὶ τὰ Μέγαρα. Iam vero voc. ΘΕΛΩΝ, quod habent libri plerique, perpauci omittunt, intelligi nequit, nec ab Herodoto profectum esse mihi persuaderi patiar. Frustra igitur interpretando locum expedire studuerunt eruditi. Puto errorem natum esse e similitudine postremae literae voc. praecedentis et olim scriptum fuisse ЄΒΟΤΛΘΤΘΤΟΘΛΩΝ i. e. ἐβουλεύετο ἐλῶν, deliberabat iter faciens, dum in itinere erat; quod aliis verbis dicitur supra: ἐν τῇ ὁδῷ ἐόντι. Praesens ἐλᾶν pro ἐλαύνειν Herodoto satis est frequens. Exemplorum copiam suppeditabit Schweigh. Lexicon Her. v. Sed post excursum ad Virgilium redeo.

645. et altos
Conscendit furibunda rogos ensemque recludit
Dardanium, non hos quaesitum *munus in* usus.

In hoc loco expediendo iam diu est ex quo desudarunt eruditi, sive eum interpretari, sive emendare studentes. Rectissime Peerlkampius: »sed ego non percipio cur Virgilius ensem appellet *munus*." Nec ego. Atque hoc ipsum est, in quo haeret aqua. Aut fallor, aut expedita sunt omnia, si statuamus poetam revera dedisse:

non hos quaesitum *in funeris* usus.

Funus est *mors*, *nex*, *caedes*, h. l. *suicidium*. Ensis non quaesitus erat ad hoc caedis ministerium, i. e. Dido eum non quaesiverat, comparaverat, quo ipsa sibi mortem consciscerat. Conf. Aen. IV, 500:

Non tamen Anna novis praetexere *funera* sacris
Germanam credit.

Ibid. v. 308:

Nec moritura tenet *crudeli funere* Dido?

Et ibid. VI, 458., ubi Aeneas apud inferos Didonem rogat:

Funeris heu! tibi causa fui?

LIB. V.

684. Nec VIRES HEROVM infusaque flumina [prosunt.

Laudo Peerlkampium rectissime monentem Troianos nusquam *heroes* dici, neque duces, in simplici narratione, cunctos *heroes* appellari. »Melius," inquit V. Cl., »legeretur vel *vires humanae*, vel *vires Teucrorum*." Exiguum quantum a vero abfuit Peerlkampius. Ego *heroes* istos cito abigam. Tu vero lege:

Nec TROVM VIRES infusaque flumina prosunt.

Nam TROVM librarii oscitantia perfacile abire potuit in EROVM i. e. HEROVM, quemadmodum HOMINES saepius depravatur in OMNES; vidd. quae diximus ad Aen. II, 65; et HORATIVS in ORATIVS; vid. Peerlk. ad Hor. Od. II. 6, 24. Nam litera initialis H, sive aspiratio, antiquitus subinde videtur esse neglecta.

Saepius e transpositis vocabulis similes natae sunt corruptelae. Transpositione eiusdem generis labem abstersit Peerlkampius Aen. XI, 207:

Cetera confusaeque ingentem caedis acervum cet. emendans:

Ceteraque ingentem confusae c. a.

796. Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas
Vela TIBI! liceat Laurentem attingere Thybrim!
Si concessa peto, si dant ea moenia Parcae.

Pronomen *tibi*, utpote molestum, concoquere non potuerunt eruditi. Heynius malebat *tuas*. Wagnerus perperam interpretatur *per te*, *tua opera*, *quantum per te licet*, in partes vocans Georg. II, 5. Quem recte refutat Peerlkampius, minus tamen feliciter coniiciens *mihi*. Nam *dare vela* non significat *permittere iter*, sed *facere iter*, *navigare*. Nec cogitandum de tali constructionis forma: liceat mihi illis dare vela tuta per undas; sed, salva (ni

fallor) Latinitate, requiritur: liceat iis, qui supersunt, dare vela t. p. u. At vero hic imprimis valet, quod egregie praecipit idem ille Peerlkampius ad Aen. VIII, 543: »Magnum hoc est argumentum, quod ex similitudine duorum locorum ducitur. Qui Virgilii consuetudinem tenet, hic imprimis veritatem sentiet." Luculentis hoc effatum exemplis confirmatur in Homeri carminibus recensendis. Vidd. quae annotavimus ad Il. I, 141. Equidem igitur non dubito, quin ipsam Virgilii manum simus habituri, si legamus:

Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas
Vela! ILLIS liceat Laurentem attingere Thybrim!

Parum differunt TIBILICEAT et ILLISLICEAT. Ad quam emendationem probandam et commendandam post Peerlkampii praeceptum fusa et operosa argumentatione neutiquam est opus. Ipsius potius Virgilii locum apponam, ad cuius quasi exemplum Aeneidis versus videntur esse facti. Nimirum Georg. IV, 51. de apibus sic narrat poeta:

Quod superest, ubi pulsam hiemem Sol aureus egit
Sub terras, coelumque aestiva luce reclusit,
Illae continuo saltus silvasque peragrant cet.

Ubi *quod superest* significat: apes, quotquot, quae supersunt. Quod non intellexisse videtur Vondelius vertens: »Voorts, *wanneer de gouden zon*

den winter onder de aarde gejaaght en met haar zomerlicht den hemel ontsloten hebbe, dan gaanze" cet. Nec melius utique locutionis vim sensit Wagnerus interpretans: »*ceterum:* haud infrequens apud antiquiores poetas *transitionis formula.*" Rectius tamen Aeneidis locum cepit Vondelius: »*Weshalve ik u bidde, dat het u gelieve* 't overschot der vlote *veiligh aan de Laurentynsche Tyber te brengen.*" In ceteris eximio poetae res parum feliciter successit. Recte contra Wagnerus interpretatur: *reliqua classis.*

Ceterum pronomen *illis*, plurali numero positum, eliciendum est e *quod superest.* Troianos spectat et significat: qui, quotquot supersunt, reliquiae Troiae (vid. v. 786), sive reliqui Troiani, quotquot in Sicilia non remanserant. Eodem modo usurpatur a poeta supra V, 687:

Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Troianos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos; da flammam evadere *classi*
Nunc, Pater, et tenues Teucrum res eripe leto.
Vel tu, *quod superest*, infesto fulmine morti,
Si mereor, *demitte*, tuaque hic obrue dextra.

Conf. Aen. XI, 15:

Quod superest: haec sunt spolia et de rege superbo
Primitiae.

Ita enim locus interpungendus cum Heinsio. Est autem talis constructio ex iis, quae dicuntur ad synesin; qualis est Aen. II, 400: *pars — scandunt equum.* III, 675: *At genus Cyclopum — ruit ad portus et litora complent.* Conf. Ovid. Heroid. XIV, 27.



LIB. VI.

255. Ecce autem, primi sub lumine solis et ORTVS,
Sub pedibus mugire solum, et iuga coepta moveri
Silvarum, visaeque canes ululare per umbram,
Adventante dea.

Peerlkampius: »non vidi exemplum talis tautologiae." Quoniam plane idem est *sub lumina primi solis* et *sub ortus solis.* Suspicatur autem ante *sub* excidisse *subito* et, deleto voc. *solis*, Virgilium scripsisse putat:

Ecce autem primi subito sub luminis ortus cet.

Fortasse tamen leniore adhibita medicina vulnus curaveris et duabus tantum literis mutatis et deleta interpunctione a veritate parum abfueris legens:

Ecce autem, primi sub lumine solis, et ORSVM
Sub pedibus mugire solum, et iuga coepta moveri cet.

Solum orsum est mugire et *iuga coepta sunt*

moveri eodem iure ponuntur et Latina sunt. *Orditi*, *coepisse*, *incipere*, sollennia sunt in hac caussa et multum gravitatis habent. Aen. IV, 160:

Interea magno misceri murmure coelum
Incipit.

Nec aliam ad normam dixit Ovid. Metam. IV, 166:

Desierat: mediumque fuit breve tempus et orsa est
Dicere Leuconoe: vocem tenuere sorores.

Sic et ipse Virgil. supra VI, 125:

Quum sic orsa loqui vates cet.

Nec est quod offendamur in egregrie iunctis *solum orsum est mugire* et *iuga silvarum coepta sunt moveri*. Quamquam *orditi* et *coepisse* non differunt, tamen saepius eadem, modo varientur et aliis verbis efferantur, apud optimum quemque poetam ita posita leguntur. Sic, ut alia mittam, ipse Virgilius Aen. II, 65:

Accipe nunc Danaum insidias et crimine ab uno
Disce omnes.

Nam, uti *tradere* et *docere*, *tenere* et *intelligere* sunt idem, sic et *accipere* et *discere* prorsus non differunt.

465. Siste gradum, teque adspectu ne substrahe nostro.
Quem fugis? extremum *fato*, quod te alloquor,
[hoc est.

Voc. *fato* difficile esse recte monet Peerlkampius, putans poetam dedisse: *Dido*, et amanter in ultima oratione nomen Didus esse positum. Equidem Didus nomine, quo iam in orationis principio usus est Aeneas, hic libenter caream. Praeterea aliquid desidero, quod palaeographica evidentia magis commendetur. Quocirca Virgilium dedisse existimaverim:

Quem fugis? extremum, *fcito*, quod te alloquor
[hoc est.

Quod et egregium praebet sensum et a scripturae vestigiis exiguum quantum est remotum. Nam literae *ci* in MSS. facillime coalescunt in *a*. Hinc proclivis permutatio vocabulorum *scit* et *sat*, *scitis* et *satis*, *civis* et *avis*, *citra* et *atra*, *circa* et *arca*, *circus* et *arcus* cet. Literae *ſ* et *f* innumerabilibus locis confunduntur (vidd. quae annotavimus supra ad II, 12. *refugit* = *refurgit*); quo fit, ut *fato* et *fcito* longe facilius permutentur quam *fato* et *Dido* et in MSS. vix dignoscantur. Vidi nuper Codicem vitam *Sti Francisci* continentem. Dicas librum inscribi: *Vita Sti Franasa.*

Imperativus *scito* plane eodem modo, quo Graecorum *εὖ ἴσθ' ὅτι*, per parenthesin illatus legitur. Conf. Viger. Id. Gr. p. 224. ibique Hoogev. Sic Terent. Hec. I. 1, 10:

Nam nemo illorum quisquam, *scito*, ad te [venit cet.

Ubi Donatus: »Bene additum est *scito*, et moraliter, et acutius pronunciandum; est enim verbum illorum, qui familiares corrigunt." Et recte: nam graviter et cum efficacia ponitur in talibus imperativus futuri. Cic. Verr. IV, 1: *Latine me*, scitote, *non accusatorie loqui.* Ibid. 35: *Videte quanta religione fuerit* (Verres). *Apud Segestanos repertum esse, iudices*, scitote, *neminem, neque liberum, neque servum, neque civem, neque peregrinum, qui illud signum auderet attingere. Barbaros quosdam Lilybaeo* scitote *adductos esse operarios* cet. Igitur *scito* idem est ac, te hoc scire perquam velim, omnino hoc tibi sciendum est. Conf. Phaedr. Prol. 1.

564. Sed me, quum lucis Hecate praefecit Avernis,
Ipsa *deum* poenas docuit perque omnia duxit.

Deum poenas interpretantur *a diis constitutas.* Quae tamen interpretatio nemini facile probabitur. Hinc doctorum coniecturae, quas vide apud Heynium. Peerlkampium silentio locum praeteriisse miror. Nec etiam Codd. quidquam suppeditant auxilii. Quodsi vero scripturae vestigia consideraveris, sponte sua emerget ipsa poetae manus:

Sed me, quum lucis Hecate praefecit Avernis,
Ipsa *adeo* poenas docuit perque omnia duxit.

Nihil fere differunt in Codd. *ipsa deum* et *ipsa adeo*. Librarius imperitus videns *ipsaadeo*, videre sibi visus *ipsadeū* vel *ipsadeo*, nec quid esset intelligens, de suo penu dedit *ipsa deum*, ita optime Virgilio consultum ratus.

Particula *adeo*, respondens Graecorum δή, vim addit vocabulis, quibus subiicitur, maxime pronominibus, adverbiis temporalibus cet. Vid. Wagn. ad Aen. IV, 533. Ipse Virgilius Aen. IV, 96:

Nec me *adeo* fallit, veritam te moenia nostra
Suspectas habuisse domos Carthaginis altae.

Ibid. VII, 427:

Haec *adeo* tibi me, placida cum nocte iaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.

577. Tum Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras,
Quantus ad aetherium COELI suspectus Olympum.

Misere interpretes cruciavit voc. *coeli*. Nec immerito. Quo enim sit referendum ambigitur. *Ad aetherium coeli Olympum* non tantum est tautologon, sed et plane nihili. Nam *Olympus* et *coelum* non differunt. Hesych. Ὄλυμπος· οὐρανός, θεῶν οἰκητήριον καὶ ὄρος ἐν Μακεδονίᾳ. Hinc Ὀλύμπιοι et Οὐρα-

οἰωνες sunt *coelites, coelicolae, dii.* Hom. Il. 1, 399. 570. Dicere poterat Virgilius *ad coelum et Olympum*, praeeunte Homero ibid. 497:

ἠερίη δ' ἀνέβη μέγαν οὐρανὸν Οὐλυμπόν τε,

non vero *ad coeli Olympum.* Quoniam vero vocabula non multum dissimilia ab oscitantibus librariis solent confundi, Virgilius, nisi me scripturae vestigia fallunt, scripsit:

Quantus ad aetherium OCVLIS suspectus Olym-
[pum.

Ubi cavendum ne voc. *oculis* otiosum esse putemus: quale quidem videri possit v. c. Aen. II, 68:

Constitit atque *oculis* Phrygia agmina circumspexit:

aut ibid. 589:

Cum mihi se, non ante *oculis* tam clara, videndam
Obtulit.

Sed frequens est et solenne voc. *oculus* in talibus ἐμφατικῶς positum Aen. VI, 199:

Pascentes illae tantum prodire volando,
Quantum acie possent *oculi* servare sequentum.

Loci sensus hic est: Tartarus ipse bis tantum in praeceps patet et vergit sub tenebras, (quamvis imus eius fundus conspici nequeat), quantum *oculi* suspicere valent s. possunt ad aetherium Olympum i. e. coelum. Eodem prorsus modo ipse Virgilius Aen. VIII, 251:

Ille autem, neque enim fuga iam super ulla pericli,
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit involvitque domum caligine caeca,
Prospectum eripiens *oculis* cet.

Hiatum in *aetherium oculis* non vitare Virgilium arbitratur Peerlkamp. Mnemos. Vol. X, p. 251. laudans Georg. I, 178. *cum primum ingenti* et Aen. II, 656. *consilium aut.* Sed ad Aen. III, 329: *Me famulo famulamque Heleno*, ubi Heinsius coniecerat: *M. f. famulam H.*, annotavit idem Peerlkampius: »Schraderus et alii talem hiatum in epico carmine iure reprehenderunt." Quapropter equidem tutius esse duxerim statuisse poetae manum esse hanc:

Quantus ad aetherium *est oculis* suspectus Olym-
[pum.

Verbum *est*, per compendium scriptum, facile excidere potuit.

610. Aut qui divitiis SOLI incubuere repertis,
Nec partem posuere suis: quae maxima turba est.

Non immerito adiectivum *soli* importune illatum esse contendit Peerlkampius. Quapropter medicina egere locum arbitratus pro SOLI omnino scribendum putat ORI i. e. AVRI; ita ut litera S male repetita videatur ex ultima in *divitiis*. Hoc recte.

Sed *divitiae auri* nemo poeta Latinus dixit; quod quodammodo sensit ipse Peerlkampius. Nec tentandus erat Tibull. I, 1, 1. Etenim dicendum aut *divitiis incubare*, ut h. l.; aut *auro incubare*, quemadmodum Georg. II, 507:

Condit opes alius, defossoque incubat auro.

Accuratius locum intuenti per vulgata DIVITIISSOLIINCVBVERE statim pellucent genuina DIVITIISOLĪINCVBVERE. Unde talis nascitur versus:

Aut qui divitiis OLIM incubuere repertis cet.

Olim significat *ante*, *pridem*, *iam dudum*, et coniungendum cum *repertis*. Divitiae olim repertae sunt opes, non nuper acquisitae, sed iam pridem in arca conditae diuque diligenter et anxie asservatae, nec vero in usum adhibitae. Quod Aristophani Plut. 589. dicitur:

τὸν Πλοῦτον ἐᾷ παρ' ἑαυτῷ.

Simili modo Horatius Sat. I. 1, 36. de formica:

Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, et illis utitur *ante*
Quaesitis sapiens.

Conf. Epist. II, 2, 166:

Quid refert, vivas numerato *nuper* an *olim?*

Corruptelae caussa sita est in male repetita litera S voc. *divitiis*. Idem plane vitii genus turpiter de-

formavit, quem animi caussa obiter corrigemus, Pindari locum Nem. VII, 27:

Ἀφνεὸς πενιχρός τε θανάτου
ΠΑΡΑ ΣΑΜΑ νέονται.

Vertunt vulgo: *dives pauperque mortis ad sepulcrum tendunt.* Perperam: nam νέομαι cum praep. παρά nusquam coniunctum legitur: sine praepositione, sequente accusativo, solenne est Homero. Conf. Il. 7, 335:

νεώμεθα πατρίδα γαῖαν.

Verum vocabula παρὰ σᾶμα crasso laborant mendo, sed tamen facili negotio tollendo, si modo pro ΠΑΡΑΣΑΜΑ, una mutata literula, legamus ΠΕΡΑΣ-ΑΜΑ:

Ἀφνεὸς πενιχρός τε θανάτου
ΠΕΡΑΣ ΑΜΑ νέονται.

Loci sensus hic est: *dives pauperque ad mortis terminum* (*mortem*) *simul* (*pariter*) *perveniunt.*

Πέρας est terminus s. meta in hippodromo. Πέρας θανάτου poetice dicitur pro θάνατος. Nec aliter Hom. Il. 6, 143. alib. ὀλέθρου πείρατα et 3, 309. τέλος θανάτοιο. Virgil. Aen. XII, 546:

Hic tibi mortis erunt metae.

177. Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub IMAGINE falcem,
Saturnusque senex Ianique bifrontis imago.

Quidnam significent *servans sub imagine falcem* iam veteres grammaticos non intellexisse refert Servius. Wagnerus interpretatur: »falx, vinitorum instrumentum, quo ille usus fuerat, ad memoriam eius rei servandam posita erat in basi eius simulacri." Equidem omnino suffragor Peerlkampio locum mendosum esse statuenti. Veri tamen similem emendationem se non videre profitenti fortasse ego satisfaciam pro IMAGINE reponens TEGMINE. *Tegmen* autem saepius ponitur pro *veste*, ut *tectum* pro *domo*. Significatur igitur h. l. *pellis*, qua more antiquo amictus vel tectus erat Saturnus. Ipse Virgilius Aen. III, 594: *consertum tegumen spinis*. VIII, 281:

Iamque sacerdotes primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti cet.

Ovid. Metam. III, 52. de Cadmo:

Tegimen derepta leoni
Pellis erat.

Tacit. Ann. XIII, 57: *postremo* tegmina *corpori derepta iniiciunt.* Ceterum verba omnino sunt transponenda, quod hoc modo factum velim:

Saturnusque senex, curvam sub TEGMINE falcem
Vitisator servans cet.

Eum enim ego verborum ordinem praetulerim, quoniam falx indicio est Saturnum fuisse vitisatorem. Sic et Aen. XI, 552:

Telum immane manu valida quod forte gerebat
Bellator, cet.

Peerlkampio sic verba videntur ordinanda:

paterque Sabinus
Vitisatorque senex, curvam sub imagine falcem
Saturnus servans, cet.

In mentem venit et loci Liv. I, 58. cum Virgilianis omnino comparandi, ubi de Lucretia sic: *Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit.*

319. Nec face tantum
Cisseis praegnans ignis enixa iugalis;
Quin idem Veneri partus *suus* et Paris alter
Funestaeque iterum ricidiva in Pergama taedae.

Rectissime Peerlkampius: »Sententia non est ob»scura. Hecuba non sola ignem peperit. Peperit et »Venus. Haec autem sententia non bene expressa

»est: *quin idem Veneri partus suus.* — Tum »*idem* et *fuus* non recte iunguntur, quia non dif- »ferunt ita iuncta. Conieci equidem: *En Paris* »*alter.* Sed ex aliis nil extrico."

Scrupulum fortasse sustuleris, si pro *fuus* scribas: *fuit;* quorum in MSS. perfacilis est permutatio (*fuū* = *fuit*):

Quin idem Veneri partus *fuit* et Paris alter
Funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae.

Nam *Cisseis enixa* (*est*) requirunt *Veneri partus fuit;* utrumque perfectum historicum. Sensus autem hic est: ut Hecuba facem enixa est, sic et Venus peperit ignem; vel, ut Hecuba Parin est enixa, sic et Venus alterum Parin (Aeneam significat) peperit. Aeneas alter erit Paris et altera taeda Troiam redivivam iterum incensura. Aeneas ut alter Paris Troianis erit exitio. Significant igitur *Veneri partus fuit* idem ac *Venus partum habuit, peperit;* quae est vis verbi *sum* dativo iuncti. Nec alio modo usurpatur Ovid. Metam. IX, 329:

Fuit unica *matri*
(Me pater ex alia *genuit*) notissima forma
Oechalidum Dryope.

448. Tum flammea torquens
Lumina cunctantem et quaerentem dicere plura
Reppulit, *et geminos* erexit crinibus anguis cet.

Nullam caussam esse, cur Virgilius duos angues erexisse Furiam commemoraret, luce clarius demonstravit Peerlkampius, simul recte monens poetarum locos, ubi unus duove eriguntur, huc nihil facere; sed, ut Alectus rabies ostendatur, hic requiri non ut *gemini* erigantur, sed cuncti. Equidem corruptum esse puto voc. *geminos* et a vero exiguum quantum abfuisse Peerlkampium. Quod tamen coniecit V. Cl. *nigros*, id nobis minus aptum et efficax esse videtur. Vim et efficaciam loco accessuras crediderim, si legatur:

— *atque omnis* erexit crinibus anguis.

Nam *atque* facile abire potuit in *etge;* et, literis transpositis, ex *omnis* fit *minos;* unde nata prava lectio *et geminos.*

598. Nam mihi parta quies; OMNISQVE in limine
Funere felici spolior. [PORTVS;

Quoquo te vertas, probabilem sensum inde nunquam elicias. Optime hoc perspexit Peerlkampius. »Sentio," inquit, »rem verti in *omnisque*, pro quo sententia postulat verbum, quale est *versor*, *navigo*, *veni ad limen portus* vel simile." Equidem offendor quoque ingrata alliteratione vocc. *parta* et *portus*, quam non facile feret, cui sunt aures non obtusae. Nam longe alia res est, ubi v. c. Tibul-

lus I, 10, 1., belli atrocitatem horridis sonis exprimere studens, de industria in hunc modum canit:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit *enses*?
Quam *ferus* et vere *ferreus* ille fuit!

Doctorum coniecturas congestas vide apud Heynium. Ut vere et verbo dicam, equidem locum ob vocabula a librariis male diremta tam miserum in modum deformatum esse putaverim. Ecce autem e multorum seculorum sordibus pura tibi et nitida emerget ipsa Virgilii manus, si pro ridiculis et sensu cassis reposueris:

Nam mihi parta quies; SVMQVE IPSE in limine
[MORTIS.

Quo facto omnia plana sunt et perspicua. Literam S voc. *sumque* absorbuit praecedens voc. *quies*, in eandem literam desinens. *Sumque ipse in limine mortis* significant: ipse in eo sum, ut moriar. Mors instat, inquit Latinus: sed funere felici spolior; i. e. sed mihi genus, via et opportunitas mortis infelix est. Tristis mihi est vitae exitus. *Limen* de cuiusque rei principio dicitur. Aen. V, 316. XI, 423. Ut mortis in limine est senex, sic in vitae limine versatur infans. Vid. Aen. VI, 426. Iam Lucretius VI, 1156:

Languebat corpus leti iam limine in ipso.

Cul. 222:

Heu! quid ab officio digressa est gratia, cum te
Restitui superis leti iam limine ab ipso.

Similis caussa, nempe male diremta vocabula, quae Virgilii versum tantopere deturpavit, etiam obscuravit orationem Taciti Agric. 38: *Ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo latere Britanniae* LECTO OMNI *redierat. Hunc rerum cursum* cet. Cuius depravatissimi loci emendationem tentavit Peerlkampius hoc modo: *unde proximo latere Britanniae lecto*, incolumis rediit. *Atque hunc* cet. Miror equidem nemini dum eruditorum suboluisse Taciti manum esse: *unde, proximo latere Britanniae* LECTO, AVCTVMNO *rediit.* AT *hunc r. c.* cet. Classis auctumno sive ante hiemem rediit, quoniam hiberno tempore mare nostrum parum navigabile est et non tractabile coelum.

624. Pars pedes ire parat campis; pars ARDVVS
Pulverulentus EQVIS furit. [ALTIS

Iure offenditur Peerlkampius mira locutione *pars arduus*, pro qua castigata Latinitas postulat *pars*

ardua, docte et accurate sententiam suam exponens. Duplici vero modo locum sanare tentans legit:

Hic pedes ire parat: campis *ille* arduus altis
Pulverulentus equis furit.

vel etiam:

Pars pedes ire parat; campis pars *altus apertis*
Pulverulentus *eques* furit.

Equidem concedo V. Cl., »utramque propositam mutationem vulgatis longe esse meliorem." Sed et mihi concedetur, utramque, posteriorem praecipue, a scripturae vestigiis longius iusto esse remotam nec palaeographicam illam, quae et hic requiritur, prae se ferre evidentiam. Hanc, nisi fallor, nanciscemur, si simpliciter reponamus:

Pars pedes ire parat; campis pars ARDVA LATIS
Pulverulentus EQVES furit.

Quo facto *pars arduus*, quod omnino non est ferendum, evitatur, et *alti equi* locum cedunt *campis latis*. ARDVALATIS et ARDVVSALTIS non multum differunt et facile confunduntur. Vid. Peerlk. ad Aen. I, 427. Epitheton *latus* substantivo *campus* iungere Latinis poetis perquam usitatum. Ipse Virg. Aen. X, 407:

extenditur una
Horrida per latos acies Vulcania campos.

Horat. Od. III, 11, 9:

Quae, velut latis equa trima campis
Ludit exsultim cet.

Ovid. Metam. II, 664:

Iam cibus herba placet: iam latis currere campis
Impetus est: in equam cognataque pectora vertor.

LIB. VIII.

57. Ipse ego te RIPIS ET RECTO flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.

Locus multis nominibus impeditissimus. Difficultates, quibus premitur, enumeravit et, ut solet, egregie ponderavit Peerlkampius. Graviore tamen et interiore labe, quam vulgo putatur, inquinata esse ea et longe aliud quid voluisse poetam, quam suspicetur aliquis, equidem existimaverim. Pollicetur enim Tiberinus se fluminis undas, alioquin rapide mare versus *defluentes*, nunc faciles et placidas esse redditurum Aeneae, atque effecturum, ut hic amnem *adversum* sine remorum luctamine, i. e. facile, posset superare. Verbo, promittit deus se fluvium *defluentem* fácturum esse *refluentem*. Quod, nisi retorto flumine, fieri non poterat. Manifesto declaratur hoc iis, quae leguntur infra v. 86 sqq.:

Thybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit et tacita *refluens* ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis
Sterneret aequor aquis, remo ut luctamen abesset.

Quod igitur hic iam factum videmus, id aliis verbis (variandum enim erat) se praestiturum promittit Tiberinus v. 57. sqq. Quae si recte disputavimus, dicas scripsisse Virgilium:

Ipse ego te RIVIS, RETRACTO flumine, ducam cet.

Ipse ego, inquit Tiberinus, flumen revocabo, retro agam, retraham, et rivis meis te ducam, ut remis subvectus adversum amnem facile possis superare. Nam *remis subvehi* est ab inferiore fluminis parte ad superiorem remigare. *Tiberinus flumen* (τὸν ῥοῦν) *retrahit* est poetica locutio, ut *pedem retrahit*, *revocat*, et significat: *Tiberis refluit*, *retro fluit*. In haud absimili caussa ponitur verbum *retrahere* Aen. X, 306:

Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Impediunt, retrahitque pedem simul unda relabens.

Conf. IX, 124:

cunctatur et amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.

Ecquis est, quin ob mentem versentur Horatii Od. I, 2, 13:

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Litore Etrusco violenter undis,
Ire deiectum monumenta Regis
Templaque Vestae.

Item Euripidea Med. 410:

Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί.

78. Adsis o tantum, et propius tua *numina* firmes.

Hic ego *numina* ullo modo ferri posse nego. Iam Palmerius emendaverat *omina* Specil. p. 616., improbante Heynio. *Omina* revera legit Silius IV, 127:

Adsis o firmesque tuae, pater, alitis omen.

Admissa Palmerii correctione versus hoc modo est refingendus:

Adsis o tantum, et propius tua *iam omina* firmes.

Ubi coniungenda sunt *iam propius* i. e. nunc, statim, evidentius, manifestius: vel, ut Wagnerus interpretatur: modo aliquo praesentiore. *Iam* respondet Graecorum δή vel ἤδη, et pronominibus et adverbiis temporalibus saepius coniungitur. Vid. Aen. II, 70. *iam — denique*. Ibid. 148. Conf. XII, 889.

In simili caussa *omen* ponitur Aen. IX, 21; ubi Iris, a Iunone ad Turnum missa, hunc ad praelium committendum castraque Troianorum adorienda incitat. Quae quum abiisset, Turnus:

Sequor *omina* tanta,
Quisquis in arma vocas.

Conf. et II, 691:

Da deinde auxilium (augurium Peerlk.), pater, atque [haec *omina* firma.

Erroris caussa in promptu. Particulam *iam* absorbuerunt vocabula contigua: nec multum differunt *tuanumina* et *tuaiamomina*.

685. Hinc ope barbarica *variis*que Antonius armis,
Victor ab Aurorae populis et litore rubro,
Aegyptum virisque Orientis et ultima secum
Bactra vehit; sequiturque (nefas) Aegyptia coniunx.

Pro *variisque*, merito suspecto doctis, Heinsius coniecit *Phariisque*, improbante Burmanno ob sequens *Aegyptum*. Heinsii coniectura non displicet Peerlkampio, putanti ad Antonii luxuriem et splendorem pertinere verba *ope barbarica — Phariisque armis*. Mihi Heinsiana coniectura non admittenda esse videtur et ob caussam a Burmanno prolatam et vero ob rationes palaeographicas. Quod ad sonum, concedo *Phariisque* parum differre a *variisque*. Sed attente mihi considera literarum ductus *barbaricauariisque:* et statim cernes literas a librario esse transpositas et in Cod. scriptum fuisse *barbaricaauratisque*. Habemus igitur Virgilii manum hanc:

Hinc ope barbarica *auratis*que Antonius armis cet. Nam *ope barbarica* iam satis indicatur luxuries Aegyptia. Simili modo Ovidius Heroid. XIII, 57. a Peerlkampio laudatus:

Venerat, ut fama est, multo spectabilis *auro*,
Quique suo Phrygias corpore ferret opes.

Arma aurea vel aurata gerere barbarorum erat, luxurie diffluentium, non vero Romanorum, quos arma ferrea aut aenea decebant. Conf. Liv. IX, 40.

Ceterum adiectivum *Pharius* pro *Aegyptius* nusquam usurpatum inveni. Nec enim credibile est e parva insula, Aegypti orae adiacente, totam regionem, ne a poeta quidem, esse nominatam; non magis quam v. c. pro *Atticus* vel *Atheniensis* dictum reperias *Phalereus*.

LIB. IX.

13. Rumpe moras omnes *et turbata* arripe castra.

Haec equidem non vere dicta esse puto. Nec enim video Aeneam ad Evandrum proficiscentem castra reliquisse *turbata*. Praeceperat autem ille IX, 43. ut

Castra modo et tutos servarent aggere muros.

Troiani iusso obtemperantes

Obiiciunt portas tamen et praecepta facessunt,

Armatique cavis exspectant turribus hostem.

Adventante hoste taciti sese intra vallum retinent. Turnus autem videns

Non aequo dare se campo, non obvia ferre

Arma viros, sed castra fovere;

miratur *inertia corda*. Vid. IX, 55. sqq. Sed idcirco castra non erant *turbata*. Contra, omnia tuta erant et firma. Nec tumultuabantur Troiani. Vid. ibid. 168. At recte castra *turbata* dicuntur Virgilio, quum in Sicilia feminae naves incenderant. Quod ubi animadvertit Ascanius V, 668:

acer equo *turbata* petivit

Castra.

Nunc vero, quum absente duce Aenea, puer castris praeest, tanquam amisso parente, castra potius dicenda sunt *orbata*. Et revera sub corruptis *et turbata*, vel, ut multi Codd. habent, *turbataque* vera latet lectio, si modo literae transponantur. Itaque scribendum:

Rumpe moras omnes *atque orbata* arripe castra.

Sic et Cic. Div. IV, 9: *patria multis claris viris orbata*. Rep. I, 41. de Romulo: *iusto quidem rege cum est populus orbatus*. Nec aliter Livius I, 16. de eodem Romulo, quum post subito coortam

tempestatem non comparuisset: *Romana pubes, veluti* orbitatis *metu icta, moestum aliquam silentium obtinuit.*

Simili modo Aeneae navis, excusso gubernat Palinuro et in mari merso, Ovid. Metam. XIV, dicitur *orbata praeside pinus.*

51. Ecquis *erit* mecum, iuvenes, qui primus in hostei
En, ait. Et iaculum adtorquens emittit in aur
Principium pugnae, et campo se arduus infer
Locus suspectus. Pro *ecquis* Codd. nonnulli l bent *et quis*, merito improbatum a Peerlkampi qui offendi videtur verbo *erit*, caussa tamen, curh fiat, non addita. »Pro *erit*," inquit, »si legeret *io*, mire cresceret orationis vis." Ellipsin festiv tionis exprimendae gratia adhibitam affirmat Servi Si quid in loco scabro (ellipsis enim displicet) lic divinare, suspicari subit, poetam fortasse dedisse:
Ecquis, *ait*, mecum, iuvenes, qui primus in hosten
Inruat?
Aen. IX, 554:
Haud aliter iuvenis medios moriturus in hostis
Inruit.

446. Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt
Nulla dies unquam memori vos eximet aevo,

Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque *pater* Romanus habebit.

Heynius: »*pater Romanus* est Iupiter Capitolinus, non Augustus." Contra Wagnerus intelligit de Augusto, citans Ausonium Praef. ad Theodos. v. 21:

Tu modo te iussisse, *pater Romane*, memento.

Quae quomodo huc faciant non video, et, quoquo te vertas, vocabulum *pater* frustra explicare coneris. Sensit hoc optime Peerlkampius: »Requiritur," inquit, »aliquid huic simile: imperiumque orbis Romanus habebit. Qualis sententia est Aen. VI, 852:

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Augustus et posteri in domo Aeneia cogitantur. Hoc vult: dum Iulia gens populo Romano, terrarum domino, praeerit." Videndum autem an Peerlkampio satisfactum fuerit, si poetam dedisse statuamus:

— imperiumque *patens* Romanus habebit.

Patens facile abire potuit in *pater*, nam in Codd. scribitur *patẽs*. Simili modo verbum *patet*, corruptum in *pater*, reposuit Peerlk. Aen. XII, 703. *Patens* idem est ac *magnus*. Hinc Horat. Od. II, 16, 1:

Otium divos rogat in *patenti*
Prensus Aegaeo cet.

In qua caussa revera *magnum* usurpat Stat. Theb. III, 433:

magnoque volantes
Iniicit Aegaeo.

Hinc quoque Ovid. Fast. IV, 713:

Postera cum veniet terras visura *patentes*
Memnonis in roseis lutea mater equis.

Igitur *imperium patens* est *vastum*. Idem hoc loco varians exprimit Virgilius, quod alibi dicit: *populum late regem*. Aen. I, 21.; aut: *imperium sine fine dedi*. ibid. I, 279.; aut III, 97:

Hic domus Aeneae *cunctis* dominabitur *oris*.

Et VI, 782:

En, huius, nate, auspiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo.

LIB. X.

189. Namque ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati,
Populeas inter frondes umbramque SORORVM
Dum canit et moestum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam,
Linquentem terras et sidera voce sequentem.

Merito suspicionem movent: *umbramque sororum;* quae Servius interpretatur: *arbores de sororibus factas*, observans esse unum de his, quae habet

Virgilius *inimitabilia* et sua propria. At vero, quoniam intelliguntur Phaethontis sorores, salva sana ratione, Cycnus dici nequit inter populeas frondes et umbram *sororum* cecinisse; quod nihil aliud significaret nisi *suarum sororum*. Mihi alio modo res diiudicanda esse videtur. De populo arbore sermo est. Cuius arboris naturam si consideramus, videmus eius folia hoc habere, ut vel levissimo venti flatu agitentur et crepitent s. sonent. Caussa in eo sita est, quod foliorum pediculi longe alio et contrario modo, ac ceterarum arborum, sunt comparati. Plinius H. N. 16, 38: »(folia) *pediculo brevi* (sunt) *oleae et ilici: longo vitibus:* tremulo populis et iisdem solis inter se crepitantia." Quod quidem Virgilium, acutissimum illum naturae contemplatorem fugere non potuit.

Quapropter, etsi me non latet locum spurium haberi a nonnullis et ex inductis (Vid. Peerlk. Mnemos. X, p. 121), genuinum eum ego iudico et Virgiliano ingenio perdignum: modo legamus:

Populeas inter frondes umbramque SONORAM
[cet.

Ad locutionem *umbra sonora* ad amussim conveniunt haec Tibulli I, 2, 21:

Illa viro coram *nutus* conferre *loquaces*.

Similis quamquam non plane eiusdem naturae sunt:

Aen. VI, 386: *tacitum nemus;* IX, 393: *dumisque silentibus errat;* XI, 458: *stagna loquacia;* XII, 474: *hirundo Pabula parva legens nidisque loquacibus escas;* ibid. 522: *virgulta sonantia lauro.* Nec omittendum Stat. Theb. IV, 34: *nemus sonorum.*

281. Nunc magna referto [undam,
Facta patrum LAVDES. Ultro occurramus ad
Dum trepidi egressique labant vestigia prima.
Audentes fortuna iuvat.

De morbo constat, de remedio non item. Peerlkampius: »Neminem fore arbitror, quin talem versum vulgato sit praelaturus:

Nunc magna referto
Facta patrum. *Primas* ultro occurramus ad *undas.* Possis et *Aeneadis*, quod prope ad *laudes* accedit. Etrusci recte vocantur *Aeneadae*, quia dux Aeneas erat praepositus et illi Aeneae socii." Ita Peerlkampius. Equidem *primas* aegre lectum fuisse putem ob *vestigia prima*, in eadem sententia posita. Veram autem lectionem eliciendam arbitror ex iis, quae statim sequuntur: *audentes fortuna iuvat*, et poetam dedisse:

Nunc magna referto
Facta patrum. AVDENTES ultro occurramus ad
[undam,

Dum trepidi egressique labant vestigia prima.
Audentes fortuna iuvat.

Vocabulum *laudes* corruptum est ex *audēs*. Ita enim per compendium scribi solebat pro *audentes*, quemadmodum pro *scientia* scribebatur *scīa*.

Audens est *fortis*, *animosus*. Vid. Burmann. ad Ovid. Art. I, 608. Respondet Graecorum θαρρῶν. Thucyd. 5, 10: ἀλλὰ τάς τε πύλας τὶς ἀνοιγέτω ἐμοί, ὡς εἴρηται, καὶ ἐπεξίωμεν ὡς τάχιστα θαρσοῦντες. Ipse Virgilius Aen. VI, 95:

Tu ne cede malis: sed contra audentior ito,
Qua tua te fortuna sinet.

Ibid. IX, 291:

audentior ibo
In casus omnes.

Conf. Ovid. Metam. X, 586. Ceterum non est quod offendamus in repetito voc. *audentes:* nam grave et efficax ad aures et animum accidit eiusmodi dicendi genus. Ter positum vide apud Ovid. Fast. II, 781:

audebimus ultima dixit.
Viderit, *audentes* Forsne Deusne iuvet.
Cepimus *audendo* Gabios quoque.

557. Istic nunc, metuende, iace. Non te optima mater
Condet humo, PATRIOQVE *onerabit* membra
Alitibus linquere feris, cet. [sepulcro.

Quoniam poeta supra dixit Tarquiti patrem fuisse Faunum i. e. deum et quoniam deus non habebat sepulcrum, *patrii sepulcri* mentionem ullo modo posse iniici merito negat Peerlkampius, et, pro *patrioque onerabit membra sepulcro*, Virgilium dedisse censet: *Parioque ornabit m. s.* Recte, ut puto, quod ad *ornabit*. Sed vereor, ut de sepulcro Pario i. e. marmore Pario exstructo cogitaverit Virgilius; utpote quod doctius iusto est et parum in illa tempora, praesertim si Italiam cogitemus, videtur convenire. Equidem alio modo turbatum esse credo, et, mutata distinctione, poetam dedisse suspicor:

Condet humo PATRIA, ATQVE ornabit membra
[sepulcro.

Sic et Aen. VI, 507:

Te amice nequivi
Conspicere et *patria* decedens ponere *terra*.

Ovid. Trist. III, 3, 32:

Ut saltem *patria* contumularer *humo*.

Quam facile PATRIAATQVE abire potuerint in PATRIOQVE, vel, ut nonnulli Codd. habent, PATRIOVE, non est quod dicam. Ceterum *sepulcro ornare* satis ornate dicitur et ornanti epitheto facile carebit: plura sunt nimia. Maxime quum h. l. sibi invicem opponantur sepulturae honor et *alitibus linqui*, cet. Te, inquit, patria terra non habebit; sed praeda iacebis alitibus ferisque.

607. O germana mihi atque eadem gratissima coniunx,
Ut rebare, Venus (NEC te sententia fallit)
Troianas sustentat opes; non vivida bello
Dextra viris, animusque ferox patiensque pericli.

Rectissime Peerlkampius mancam esse contendit orationem, quoniam Iupiter supra in coelitum concilio omnem deorum interventum vetuerat. Non igitur idem ille Iupiter nunc dicere potest: *Venus Troianas sustentat opes.* Offendit et Peerlkampius in *non vivida b. d. v.*; quia Aeneae et Troianorum fortitudini debebatur victoria. Quapropter locum sic refingendum censet:

Non, ut *rere*, Venus (*tua* te sententia fallit)
Troianas sustentat opes: *sed* vivida bello cet.

Mihi alia sententia est. Supra v. 115. dixerat Iupiter: *fata viam invenient.* Nec enim, inquit, mortalium virtus, nec deorum interventus et auxilium litem diriment, sed ineluctabilis fati vis. Sed hoc reticetur. Quapropter non sollicitanda *non vivida* cet. Quocirca ego locum sic potius constituerim:

NON, germana mihi atque eadem gratissima coniunx,
Ut rebare, Venus (HAEC te sententia fallit)
Troianas sustentat opes; non vivida bello cet.

Quae a vulgatis quam proxime absunt. *Non* in principio orationis positum efficacius est, praesertim

si repetatur. *Haec* et *nec* eodem modo permutata ostendimus supra ad IV, 31.

LIB. XL

318. Aurunci Rutulique serunt et vomere duros
Exercent colles ATQVE HORVM asperrima pa-
[scunt.

Horum, utpote humilius, iure suspectum Peerlkampio, elegantius putanti v. c.:

Exercent colles *et saxa* asperrima pascunt.

Sed *et saxa* Virgilium dedisse non crediderim, quae haud ita facile in *atque horum* corrumpuntur. Tu levi manu mendosa sanabis legens:

Exercent colles NEMORVMQVE asperrima pascunt.

Etenim ATQVEHORVM et NEMORVMQVE, si literarum figuras transponas, parunt differunt. Simili modo supra IX, 13. corrupta vidimus genuina *atque orbata* in *turbataque*.

In Italia et Graecia armenta et greges in nemoribus pasci notum est. Vid. Aen. IV, 70. XII, 719. *Nemora* autem sunt loca montuosa et silvestria i. e. arboribus dumisque consita. Hinc Horat. Sat. II, 6, 90:

Quid te iuvat, inquit, amice,
Praerupti nemoris patientem vivere dorso.

Aspera dicuntur nemora ab ipso Virg. infra v. 901:

Ille furens — et saeva Iovis sic numina poscunt —
Deserit obsessos colles, *nemora aspera* linquit.

Ubi videre licet *colles* et *nemora* eodem modo coniuncta. Conf. Aen. VIII, 215.

453. Arma manu trepidi poscunt; fremit arma iuventus.
Flent MAESTI mussantque patres.

Pro *manu* suo iure *arma* reposuit Peerlkampius. Sed miror in tanta animorum trepidatione et tumultu nullam mulierum fieri mentionem, sed *patres* maestos *flevisse*, quod, quamquam apud Graecos et Romanos viris non est inusitatum, tamen hoc temporis momento gravissimo Latinorum senatu parum dignum esse videtur. Itane igitur locutus esse potuit Virgilius? Ille enim, ut est apud Horat. Art. poet. 315:

ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.

Quare ego eum scripsisse crediderim:

Arma, arma trepidi poscunt; fremit arma iuventus.
Flent MATRES mussantque patres.

Arma poscit iuventus, flent matres (matronae), mussant patres. Voc. MATRES transpositis literis facile depravatur in MAESTI.

154. Vix ea: quum lacrimas oculis Iuturna profudit,
Terque *quaterque* manu pectus percussit honestum.

Rectissime Peerlkampius: »Dura verborum constructio, quia statim sine copula sequitur *percussit*. — Potuisset Virgilius v. c. *terque tremente manu*." Dubitari nequit, quin haec corruptela laborent, orta e similitudine vicinorum vocabulorum. Sed propius a vero aberis, si scripseris:

Terque *utraque* manu pectus percussit honestum.

Quam facile *terqueutraque* vel *terqutraque* in Codd. abire potuerint in *terque quaterque*, non est quod dicam. Ceterum in summo dolore et *utraque manu* plangere solitos esse veteres, docet ipse Virgilius Aen. IV, 673:

Unguibus ora soror foedans et pectora *pugnis*.

Item Ovid. Metam. V, 473. de Cerere sic:

Et repetita suis percussit pectora *palmis*.

Virgilium ob oculos fuisse fere dicas Ovidio ibid. XV, 803:

Tum vero Cytherea *manu* percussit *utraque*
Pectus.

746. Nec minus Aeneas, quamquam TARDANTE SA-
[GITTA
Interdum genua impediunt cursumque recusant,
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urguet.

Quandoquidem vocabula *tardante sagitta* nullo modo stare posse procul ab omni dubio posuit Peerlkampius, nos, utpote de re conclamata, amplius disserere supersedebimus. In sanando tamen vulnere alia ingredienda esse videtur via, atque iniit Peerlkampius, putans in *sagitta* latere posse *fatigat*, vel simile, ut *fatiscunt*. Equidem crediderim et omnino requiri obiectum verbi *impediunt*, quod nihil aliud esse potest, nisi ipse *Aeneas:* et simul *Turni* mentionem non posse abesse ob sequentia *insequitur* et *trepidi*. Utrumque latere suspicor in pessime habitis *tardante sagitta*. Quod sententia postulat, hoc est: Nec minus Aeneas, quamquam eum, dum Turnum persequitur et agitat, interdum genua impediunt, hunc (Turnum) tamen insequitur cet. Vestigia manus Virgilianae servavit Cod. Montalb. exhibens *turbata;* quae lectio, quamvis sit vitiosa, tamen quantivis est pretii et tanquam Ariadnes filum emendandi viam monstrabit. Nam ex corruptis TVRBATASAGITTA sensim sensimque emergens legentium oculis vel sponte sua se offert ipsa Virgilii manus:

Nec minus Aeneas, quamquam TVRNVM ANTE
Interdum genua impediunt. [SE AGENTEM

Aeneas Turnum, ut ait ipse poeta v. 749., tanquam canis venaticus ante se agebat. Verbum *agere* in hac caussa solenne est. Aen. VII, 477:

quo litore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus,
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Obiicit, et noto nares contingit odore,
Ut *cervum* ardentes *agerent*.

Sic et Aen. XI, 620:

Troes *agunt*

nempe Latinos ante se. In mentem quoque venit memorabilis loci Nep. Datam. 3.: *Ipse* (Datames) *agresti duplici amiculo circumdatus hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clavam, sinistra copulam, qua vinctum* ante se *Thyum* agebat, *ut si feram bestiam captam duceret.*

797. Mortalin decuit violari vulnere divum?
Aut ensem (quid enim sine te Iuturna valeret?)
EREPTVM reddi Turno, et vim crescere victis?

Non *ereptum* Turno fuisse ensem egregie docet Peerlkampius, pro corruptis *ereptum reddi* scribendum censens *restitui patrium*. Sed et haec con-

iectura, quamvis sententiae conveniat, tamen longius iusto a scripturae vestigiis recedit. Quapropter faciliore et leniore medicina Virgilio sua restitueris legens:

Aut ensem (quid enim sine te Iuturna valeret?)
EXPERTVM reddi Turno cet.

Ensis expertus est *probatus;* cuius virtutem et praestantiam diuturno usu cognoverat Turnus. Eundem *notum* appellat poeta supra v. 759., i. e. cui assuetus erat; in qua caussa usurpat infra epitheton *fidus*. Vid. VI, 524. VII, 640. Contra Metisci ensis capulum *ignotum* vocat supra v. 734. Eodem modo *ignotus* et *expertus* sibi invicem opponuntur apud Liv. XXI, 1: *et haud* ignotas *belli artes inter se, sed* expertas *primo Punico conserebant bello.*

Duplici, ut alia multa adiectiva, significatione positum vocabulum reperies, activa et passiva. Activa, ut Aen. II, 676., ubi ipse Aeneas ab uxore Creusa ita dicitur:

Sin aliquam *expertus* sumtis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum.

Aen. X, 172:

Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuvenes cet.

Expertus et *experiens* apud Latinos poetas re-

spondent Graecorum πολύτλας. Vid. Ovid. Metam. XIV, 159:

Neritius Macareus, comes *experientis* Ulixei.

Erit igitur *expertus*, qui multa pertulit, perpessus est, quem experientia docuit. At passivo sensu Liv. III, 44. L. Icilius dicitur vir *expertae* virtutis, i. e. exploratae et perspectae. Nec aliter loquitur Cic. Balb. 6. de Pompeio: *cuius igitur audita virtus dubitationi locum non daret: huius praesens*, experta *atque perspecta obtrectatorum voce laedetur?* Tacit. Ann. III, 17: *perinde venena et artes tam feliciter* expertas *verteret in Agrippinam* cet. Ibid. XII, 2: *femina* expertae *fecunditatis*. Conf. Agric. 41. Addam et insigne exemplum Plin. H. N. XXIX, 5: *sicut populus Romanus ultra sexcentesimum annum nec ipse in accipiendis artibus lentus, medicinae vero etiam avidus, donec* expertam *damnavit*. Contrarium *inexpertus* usurpat Liv. XXVIII, 18: *regiam in fidem* inexpertam.

906. Tum lapis ipse VIRI, vacuum per inane volutus
Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.

Vereor ut interpretando explicari aut defendi possit genitivus *viri*, qui, me iudice, mirum in modum languet. Virgilium, mutata distinctione et transpositis literarum figuris, scripsisse puto:

Tum lapis ipse RVIT. Vacuum per inane volutus
Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.

Latina sunt, credo, Turnus lapidem torquet; lapis ipse ruit, i. e. cadit, fertur, volat. Ovid. Metam. IV, 460:

Aut petis, aut urgues *ruiturum*, Sisyphe, *saxum*.

In sequentibus subintelligenda coniunctio adversativa *sed: Sed vacuum* cet., poetis omitti solita. Vid. VII, 599:

Funere felici spolior.

pro: *Sed* f. f. s. Conff. quae supra monuimus ad h. l.

Satis miras turbas subinde fecerunt istae literarum transpositiones. Saepius e longinquo medelam petas, et tamen remedium est in promtu et ante pedes positum. Hac tu medicina facile curabis Xenoph. Hellen. III. 1, 25: καὶ πόσαι σοι οἰκίαι ἦσαν; πόσαι δὲ ΧΩΡΑΙ; πόσαι δὲ νομαί; ubi frustra Portus emendabat ΚΩΜΑΙ. Sed scripsit Xenophon: πόσΑ δὲ ΧΩΡΙΑ. Χωρία autem sunt *praedia rustica*, *fundi*. Vid. Xenoph. ibid. III, 3, 5.

COROLLARIUM.

Hom. Il. 11, 61.

Ἕκτωρ δ' ἐν πρώτοισι φέρ' ἀσπίδα πάντοσ' ἴσην·
οἷος δ' ἐκ νεφέων ἀναφαίνεται ΟΥΛΙΟΣ ἀστήρ,
παμφαίνων, τότε δ' αὖτις ἔδυ νέφεα σκιόεντα·
ὣς Ἕκτωρ ὅτε μέν τε μετὰ πρώτοισι φάνεσκεν,
ἄλλοτε δ' ἐν πυμάτοισι, κελεύων.

Vocabulum οὔλιος in Homeri carminibus non legitur: apud Hesiodum bis οὔλιος Ἄρης. Scut. 192. et 441. — Hesych.: οὔλιος ἀστήρ· ὀλέθριος καὶ χαλεπός, λέγει δὲ τὸν κύνα. Eadem habent Scholia ad h. l. E Schol. tamen Ven. intelligitur olim lectum quoque fuisse αὔλιος, ἅ ἐστιν ἐσπέριος. E quibus omnibus, etsi sunt nihili, tamen satis apparet iam antiquitus de lectione non constitisse. Parum me movent quae disputat Buttmann. Lexil. I, 188 sqq. Equidem epitheton οὔλιος, *perniciosus*, ab hoc loco

quam maxime alienum esse arbitror et e totius loci nexu facile apparere, poetam revera nihil aliud dedisse nisi:

οἷος δ' ἐκ νεφέων ἀναφαίνεται ΑΙΟΛΟΣ ἀστήρ.

Corruptelae caussa est in promtu. Nimirum ultimae literae AI voc. ἀναφαίνεται absorbuerunt easdem literas voc. sequentis αἴολος; ita ut oculorum errore ex ΑΝΑΦΑΙΝΕΤΑΙΑΙΟΛΟΣ perfacile nasci potuerit ΑΝΑΦΑΙΝΕΤΑΙΟΛΟΣ; unde mox nescio quis, corrigendi scilicet studio ductus: ΑΝΑΦΑΙΝΕΤΑΙΟΤΑΙΟΣ. Opportune Hesych.: αἴολος· ποικίλος ἢ εὐκίνητος ἀπὸ τοῦ αἰολεῖν, ὅ ἐστι κινεῖν. Dicitur de iis, quae celeriter moventur ac mota micant, et usurpatur v. c. de serpentibus, vermibus, vespis, armis aliisque rebus fulgentibus. Hinc Aiacis clypeus αἴολος dicitur Il. 16, 107; παναίολον Antilochi scutum ibid. 13, 552. Notus est καρυθαίολος Ἕκτωρ, qui ipse fulgentis stellae instar micat:

ὅτε μέν τε μετὰ πρώτοισι φάνεσκεν,
ἄλλοτε δ' ἐν πυμάτοισι, κελεύων.

Hinc luculenter confirmatur certissima Peerlkampii emendatio Virgil. Aen. VI, 725:

Lucentemque globum, Lunamque, *micantia*que [astra.

Ubi vulgo vitiose: *Titania*que astra. Nec aliter Ovid. Metam. VII, 100:

Postera depulerat *stellas* Aurora *micantes*.

Et ibid. 188:

Sidera sola *micant*.

Catull. Epithal. 205:

Quo tunc et tellus atque horrida contremuerunt
Aequora, concussitque *micantia sidera* mundus.

Aeschyl. Prom. 284.

Ὠκ. ἥκω δολιχῆς τέρμα κελεύθου
διαμειψάμενος ΠΡΟΣ ΣΕ, Προμηθεῦ.

Πρὸς σέ coniungi non posse cum ἥκω, sed constructionem postulare, ut pendeat a διαμειψάμενος, acute, ut solet, vidit Kiehlius de Prom. Aesch. p. 54.; minus tamen recte totum versum interpolatori tribuendum atque eiiciendum esse existimans. Scilicet foras protrudere aliquem, cuius indolem ferre non possis, parum est ac facile; sed hominis mores emendare hoc opus, hic labor. Quapropter idem in loco scabro Aeschyleo experiri oportet et remedium circumspicere, quo aliquid reponatur cum participio διαμειψάμενος congruens. Fortasse vulneri mederi possis legens:

Ὠκ. ἥκω δολιχῆς τέρμα κελεύθου
διαμειψάμενος ΠΡΟCΘΕ, Προμηθεῦ.

I. e. Adsum longae spatium viae
emensus ante, Prometheu!

Eodem prorsus modo Pindarus Pyth. III, 21:

— ἀ·
δ' ἀποφλαυρίξαισά μιν
ἀμπλακίαισι φρενῶν,
ἄλλον αἴνησε γάμον, κρύβδαν πατρὸς
πρόσθεν ἀκερσεκόμᾳ μιχθεῖσα Φοίβῳ.

Nec aliter Eurip. Orest. 622:

μή νυν πέραινε τὴν δόκησιν, ἀλλ' ἐμοὺς
λόγους ἀκούσας πρόσθε, βουλεύου τότε.

Sophocl. Antig. 574.

Κρ. ΕΚ ΔΕ ΤΟΤΔΕ χρὴ
γυναῖκας εἶναι τάςδε, μηδ' ἀνειμένας.

Ita vulgo legitur. Libri nonnulli ἐκ δὲ τάςδε; quod et Scholiastae lemma fuisse videtur. Ex eo quod Scholiasta addit: δέ in μηδέ abundare, intelligitur eum poetae verba iam currupta legisse, ut mox apparebit. Varias huius loci interpretationes ponderare supersedebimus. Dindorfii coniectura εἶλαι pro εἶναι

temere in textum receperunt editores. Τάςδε post εἶναι omittit Schneidewinus, adscito verbo ἐᾷν post ἀνειμένας, e coniectura, ut videtur. Pro ἐκ δὲ τάςδε sunt, qui habent εὖ δὲ τάςδε.

Sed, ut fieri solet, coelum et astra intuentes, quae ante pedes sunt non videmus. Nam una tantum literula addita est opus; et libris est obtemperandum, a quorum vestigiis deflectere periculosissimum est. Nimirum literae ΕΚΔΕΤΟΤΣΔΕ (ita enim antiquitus scriptum fuisse suspicor) fucum fecerunt librariis. Hinc, male diremtis literis, ἐκ δὲ τούςδε, ἐκ δὲ τοῦδε et ἐκ δὲ τάςδε. Ego Sophoclem simpliciter scripsisse suspicor:

ΕΚΔΕΤΟΤΣ ΔΕ χρὴ
γυναῖκας εἶναι τάςδε, μηδ' ἀνειμένας.

Ἔκδετος significat *alligatus*, *vinctus*. Opportune Schol. min. μηδ' ἀν.] μηδ' ἐλευθέρας καὶ ἀπολελυμένας, ἀλλὰ δεσμίους. Δέσμιος interpretamentum est adiectivi verbalis ἔκδετος. Verbum ἐκδῆσαι, Homero satis frequentatum, in eadem caussa legitur Eurip. Androm. 555:

εἰπέ, τίνι δίκῃ χέρας
βρόχοισιν ἐκδήσαντες οἴδ' ἄγουσί σε.

Ipsum adiect. verbale apud vetustissimos scriptores me invenisse non memini: legitur tamen Anthol. Gr. IX, 97, 4. in Epigrammate Alphei Mitylenaei:

ὑπὸ στεφάνῃ τε πόληος
ἕκδετον ἐξ ἵππων Ἕκτορα συρόμενον.

Ubi poetae sine dubio ob oculos versabantur Hom. Il. 22, 398: ἐκ δίφροιο δ' ἔδησε. Διάδετος habet Aeschyl. Sept. ad Theb. 122.; σύνδετος Soph. Ai. 65.

Adiectivum ἐκδέτους necessario requiri, primum colligitur ex opposito μηδ' ἀνειμένας: deinde e sequentibus φεύγουσι γάρ. Nam, quominus fugiant Antigone et Ismene, eas vinciri iubet Creon. Totius loci sensus hic est: firmiter alligatas s. vinctas esse oportet hasce mulieres, nec vero solutas et libera custodia habitas. Nam et audaces fugiunt, quando mortem instantem adspiciunt. Significat igitur ἔκδετος, cui opponitur ἀνειμένος, *alligatus:* quod usurpatur apud Latinos v. c. de canibus, qui acriores quum sunt, ne libere vagentur, alligari solent. Phaed. Fab. III, 7, 18:

Quia videor acer, *alligant* me interdiu,
Luce ut quiescam et vigilem nox cum venerit:
Crepusculo *solutus*, qua visum est vagor.

Ἀνειμένος habet Sophocl. Electr. 516., ubi Clytemnestra Electram alloquitur sic:

ἀνειμένη μέν, ὡς ἔοικας, αὖ στρέφει,
οὐ γὰρ πάρεστ' Αἴγισθος, ὅς σ' ἐπεῖχ' ἀεὶ
μή τοι θυραίαν γ' οὖσαν αἰσχύνειν φίλους.

Ubi sibi invicem opponuntur *ἀνειμένη στρέφεσθαι*, *soluta vagari* et *θυραία· εἶναι*.

Eurip. Iphig. Taur. 372.

Ἰφιγ. ἐγὼ δὲ λεπτῶν ὄμμα διὰ καλυμμάτων
ἔχουσ', ἀδελφὸν οὐκ ἀνειλόμην χεροῖν,
ὃς νῦν ὄλωλεν, οὐ κασιγνήτΗ στόμα
ΣΤΝΗΨ' ΤΠ' ΑΙΔΟΤΣ, ὡς ἰοῦσ' ἐς Πηλέως
μέλαθρα· πολλὰ δ' ἀπεθέμην ἀσπάσματα
ἑαῦθις, ὡς ἥξουσ' ἐς Ἄργος αὖ πάλιν.

Quid significent *οὐ κασιγνήτη στόμα Συνῆψ' ὑπ' αἰδοῦς*, equidem non intelligo, nec assequor, quid habuerit Iphigenia, quod se *puderet* osculo dato valedicere fratri infanti, proficiscens Achilli nuptura. Offendit et personarum enallage. Nimirum, quum reliqua omnia efferantur prima persona (*ἀνειλόμην* et *ἀπεθέμην*), hic Iphigenia tertia loquitur persona, de se ipsa dicens: *κασιγνήτη συνῆψε*. Pro *κασιγνήτη* recentiores edd., e coniectura, ut videtur, habent *κασιγνήτῃ*; quasi *Orestes* sit subiectum. Equidem poetam scripsisse putem: *κασίγνητον στόμα*. Praeiit Homerus adiective usurpans Il. 9, 567:

πόλλ' ἀχέουσ' ἠρᾶτο κασιγνήτοιο Φόνοιο.

Nec alio modo loquitur Sophocl. Ant. 1:

Ὦ κοινὸν αὐτάδελφον Ἰσμήνης κάρα,

Quod ibidem v. 906 dicitur: ὦ κασίγνητον κάρα. Quin et apud ipsum Euripidem infra v. 983. Iphigeniam Orestae legimus dicentem:

ἀλλ', ὦ φιληθεῖσ', ὦ κασίγνητον κάρα κτἑ.

Ceterum verba συνῆψ' ὑπ' αἰδοῦς immani deformata sunt corruptela. Tum demum poetam intelligemus, si statuamus, eum pro ΣΤΝΗΨΤΠΑΙΔΟΤΣ dedisse ΣΤΝΗΨΑΠΑΙΔΟΣ. Quo facto habemus sententiam planam et perspicuam hanc:

οὐ κασίγνητΟΝ στόμα
ΣΤΝΗΨΑ ΠΑΙΔΟΣ, ὡς κτἑ.

Ego, Iphigenia inquit, non osculata sum fraternum os infantis, utpote profectura in Pelei regiam, nuptura Achilli: sed crebros amplexus omisi et distuli in posterum, quippe mox Argis rursus adfutura. Συνάπτειν στόμα (στόματι), *coniungere os* significat *osculari*, ut συνάπτειν χεῖρα χειρί est *iungere manus*. Aristoph. Thesm. 954:

Χειρὶ σύναπτε χεῖρα.

Virgil. Aen. 1, 408:

cur dextrae iungere dextram
Non datur.

Plane eodem modo, quo Euripides, loquitur Ovid. Fast. IV, 539:

Matre salutata (mater Metanira vocatur)
Iungere dignata est *os* puerile suo.

Cratin. apud Athen. p. 68. c.

Ποῦ ποτ' εἶδές μοι τὸν ἄνδρα, παῖδα Λαέρτα ΦΙΛΟΝ,
Ἐν Πάρῳ σικυὸν μέγιστον σπερματίαν ὠνούμενον.

Pro *φίλον*, quod mendo laborare manifestum est, post alios perperam coniecit *φίλος* Cobetus Plat. Com. p. 19.; ceterum ambos versus non uni tribuens, sed duobus inter se colloquentibus, Polyphemo et Ulixi, recte distribuens. Ego totum locum, re ipsa postulante, sic scribendum esse censeo:

Πολ. Ποῦ ποτ' εἶδές μοι τὸν ἄνδρα, παῖδα Λαέρτα,
[ΦΡΑCΟΝ;
Ὀδ. Ἐν Πάρῳ, σικυὸν μέγιστον σπερματίαν ὠνούμενον.

Plane eadem constructionis natura est Eurip. Rhes. 611:

Ὀδ. τὸν ἄνδρα δ' ἡμῖν ποῦ κατεύναστοι Φράσον,
πόθεν τέτακται βαρβάρου στρατεύματος.

Voc. ΦΡΑCΟΝ primum abiit in ΦΙΛΟΝ, mox in ΦΙΛΟΝ. Nam literae Α et Λ facile confunduntur et permutantur. Hinc fortasse opem ferre licet laboranti Herodoto VIII, 11. — καὶ τὸν Γόργου τοῦ

Σαλαμινίων βασιλέος ἀδελφεὸν Φιλάονα τὸν Χέρσιος κτἑ. Formam Φιλάων a linguae Graecae ingenio alienam esse puto; verum Herodotum non credo scripsisse ΦΙΛΑΟΝΑ, sed ΦΙΛΩΝΑ.

Aristoph. Acharn. 305.

Δικ. τῶν δ' ἐμῶν ΣΠΟΝΔΩΝ ἀκούσατ', εἰ καλῶς
[ἐσπεισάμην.
Χορ. πῶς δ' ἔτ' ἂν καλῶς λέγοις ἄν, εἴπερ ἐσπείσω γ'
[ἄπαξ;

Vereor ut recte dicatur σπονδῶν ἀκοῦσαι. Scholiasta, quorum natio se omnia explicando expedire posse arbitratur, subintelligendam censet praep. περί. Λείπει, inquit, ἡ περί. Mihi contra versus sic a Comici manu profectus esse videtur:

Δικ. τῶν δ' ἐμῶν ΘΠΩΝ ἀκούσατ', εἰ καλῶς ἐσπεί-
[σαμην.

Quae optime concinunt cum sequentibus καλῶς λέγοις ἄν, immerito suspectis Hamakero Mnemos. Vol. II. p. 12. Nam verbum λέγοις necessario postulat λόγων aut ἐπῶν. Voc. ἔπος Comico perquam usitatum est. Lysistr. 467:

ὦ πόλλ' ἀναλώσας ἔπη κτἑ

Plut. 268:

ὦ χρυσὸν ἀγγείλας ἐπῶν κτέ.

Quaenam sit corruptelae caussa, nemo non videt Librarius pro ЄΠΟΝ videre sibi visus ΠΟΝ statim de suo addidit ΔΩΝ.

Aristoph. Lysistr. 321.

Χορ. γυν. Πέτου, πέτου, Νικοδίκη,
πρὶν ἐμπεπρῆσθαι Καλύκην
τε καὶ Κρίτυλλαν περιφυσήτω
ὑπό ΤЄ ΝΟΜΩΝ ἀργαλέων
ὑπό τε γερόντων ὀλέθρων.

Pro νόμων, quod omni sensu caret et emendatrice manu indiget, Reiskius coniecit νέων. Parum apte: nam iuniores peregre militantes sunt cogitandi, ita ut seniores fere domi remanserint. Neminem mortalium mihi adversaturum opinor locum levissima mutatione sic refingenti:

Χορ. γυν. Πέτου, πέτου, Νικοδίκη,
πρὶν ἐμπεπρῆσθαι Καλύκην
τε καὶ Κρίτυλλαν, περιφυσήτω
ὑπό Τ' ΑΝЄΜΩΝ ἀργαλέων
ὑπό τε γερόντων ὀλέθρων.

Luxuriatur poeta iocans et παρῳδῶν Homerum. Nam ἀργαλέοι ἄνεμοι est locutio epica. Il. 13, 795: οἱ δ' ἴσαν, ἀργαλέων ἀνέμων ἀτάλαντοι ἀέλλῃ. Conf. Il. 14, 254. Od. 11, 399. 406. Hymn. Bacch. 24. alib. Sexcenties iocans Aristophanes loquitur sermone epico. Sic, ut hoc utar, Equit. 1270: θαλεροῖσι δακρύοισι σᾶς ἀπτόμενος Φαρέτρας κτέ. respicit Homerica θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέουσα. Il. 6, 496. alib.; et Vesp. 615: σκευὴν βελέων ἀλεωρήν olent δηΐων ἀνδρῶν ἀλεωρήν, Il. 15, 533.

Aristoph. Plut. 732.

Καρ. εἶθ' ὁ θεὸς ἐπόπτυσεν·

ΕΞΗΙΞΑΤΗΝ ΟΥΝ ΔΥΟ δράκοντ' ἐκ τοῦ νεώ, ὑπερφυεῖς τὸ μέγεθος.

Oratio non recte procedit. Nam post verba εἶθ' ὁ θεὸς ἐπόπτυσεν vehementer displicet particula οὖν, mihi quidem hoc loco valde suspecta, quoniam exspectaveram: καὶ ἐξηξάτην. Et revera orationis vis mirum in modum augebitur, si, deleta distinctione post ἐπόπτυσεν, poetam vividis verbis dedisse statuamus:

Καρ. εἶθ' ὁ θεὸς ἐπόπτυσεν

ΚΑΞΗΙΞΑΤΗΝ ΣΥΝΔΤΟ δράκοντ' ἐκ τοῦ νεώ, ὑπερφυεῖς τὸ μέγεθος.

Verba autem ὁ θεὸς ἐπόπτυσεν καξηξάτην σύνδυο δράκοντε ἐκ τοῦ νεώ significant: *ut deus sibilo signum dedit, (repente) duo angues una (pariter) prosiluerunt e templo;* vel *deus sibilo signum dedit, ac* cet. Haec enim est vis coniunctionis *καί* in ea constructionis forma. Sic et Thuc. 1, 50: ἤδη δὲ ἦν ὀψὲ καὶ οἱ Κορίνθιοι ἐξαπίνης πρύμναν ἐκρούοντο. Conf. Matthiae Gr. gr. § 620. a. — Ceterum angues non *singuli deinceps*, sed *bini*, i. e. *una, pariter, agmine facto* prosiluerunt. Ita enim vertenda sunt Graecorum σύνδυο, σύντρεις, σύμπαντες cet. Memorabile exemplum exhibet Virgil. Aen. II, 203:

Ecce autem *gemini* a Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, *pariter*que ad litora tendunt.

Et v. 212. de iisdem:

Illi *agmine* certo
Laocoonta petunt.

De tribus Furiis idem Virgilius IV, 469:

Eumenidum veluti demens videt *agmina* Pentheus.

Ubi omnino consulendus Peerlkampius, monens *agmen* de tribus dici posse. Sed et de duobus recte

dici, praeter Virgilii l. l., evincit locus Livii I, 6: *iuvenes* (Romulus et Remus) *per mediam concionem* agmine *ingressi* cet.

Ceterum coniunctio *καί*, per crasin alii vocabulo praefixa, praesertim in versus principio, facile potuit excidere. Exemplum exhibet Eurip. Alc. 734., ubi vulgo legitur:

'Αδμ. ἔρροις νυν αὐτὸς χἠ ξυνοικήσασα σοι
ἄπαιδε, παιδὸς ὄντος, ὥςπερ ἄξιοι
γηράσκετ'.

Ubi tamen suo iure *κἄπαιδε* revocavit Herwerdenius Mnemos. IV. p. 373.

Quod ad metrum, versus est qualis legitur supra v. 347:

Χρεμ. ἔσομαι μὲν οὖν αὐτίκα μάλ', ἢν θεὸς θέλῃ.

Ubi eodem modo tertia senarii sede uno vocabulo dactylus absolvitur.

Aristoph. Plut. 890.

Συκ. ἀπὸ τῶν ἐμῶν γάρ, ναὶ μὰ Δία, δειπνήσετον.
Χρεμ. ΩC ΔΗ 'Π' ΑΛΗΘΕΙΑΙ σὺ μετὰ τοῦ μάρτυρος
διαρραγείης, μηδενὸς ἐμπεπλησμένος.

Mirum in modum frigent nec cum vicinis cohae-

rent Chremyli verba. Nam e v. 893. ἀρνεῖσθον κτἑ intelligitur, iis aliquid inesse debere, quod negandi vim habeat; cuius tamen negationis vestigia in vulgatis frustra quaeras. Omnino legenda sunt, quae de h. l. disseruit Hemsterhusius, qui reliquis omnibus interpretibus longe acutius vidit, rectissime suspicatus »ulcus quoddam inveteratum hic penitus in»sedisse, quod sine vetustioribus membranis cura»tionem vix recipiat." Nos vero deficientibus melioribus libris coniectura vel potius ipsius Hippocratis ope aegrotantem Comicum sanare conabimur. Nitorem enim et perspicuitatem recuperabit obscurata Aristophanis oratio, si iocum, qui loco inest, integrum revocaveris et rescripseris:

Χρεμ. ΟΥ ΔΗΤΑ· ΠΛΗΘΩΡΑΙ σὺ μετὰ τοῦ μάρτυρος
διαρραγείης, μηδενὸς ἐμπεπλησμένος.

Verba ΟΥΔΗΤΑΠΛΗΘΩΡΑΙ facile abire potuerunt in ΩCΔΗΠΑΛΗΘΕΙΑΙ, quae nihili sunt.

Est autem medicis πληθώρα, *plenitudo*, quae et πλῆθος dicitur et cuius frequens Hippocrati mentio est, redundans in toto corpore humorum consistentia; cuius morbi varii sunt effectus v. c. febris, apoplexia cet. Conf. Foes. Oecon. Hippocr. v. πλῆθος. Contra plenitudo orta e nimio cibi vel potus usu dicitur πλησμονή. Plat. Symp. p. 185. c.: ἔφη ὁ Ἀριστόδημος δεῖν τὸν Ἀριστοφάνη λέγειν, τυχεῖν δὲ

αὐτῷ τινα ἢ ὑπὸ πλησμονῆς ἢ ὑπό τινος ἄλλου λύγγα ἐπιπεπτωκυῖαν κτἑ. Sequiores promiscue utuntur utroque voc. Schol. Acharn. 30: οἱ γὰρ ἀπὸ πληθώρας σκορόδων ἐμοῦντες κτἑ. Significant autem μηδενὸς ἐμπεπλησμένος, nullo *cibo* repletus, κενῇ τῇ κοιλίᾳ, ut legitur Equit. 280. Πληθώρᾳ διαρραγῆναι, *plenitudine dirumpi*, eodem modo dicitur, quo λιμῷ ἀποθανεῖν.

Ceterum utitur hic Comicus duplici ioci genere: nimirum ἀμφιβολογίᾳ et ἀντιλογίᾳ. Nam ludit simul in ambigua voc. πληθώρα significatione, quarum utra sit intelligenda, Sycophanta demum intelligit auditis verbis: μηδενός ἐμπεπλησμένος. Simili modo loquitur poeta supra v. 500: οὐ γὰρ πείσεις, οὐδ' ἦν πείσῃς; et Acharn. 396: οὐκ ἔνδον ὧν ἐστ' ἔνδον, e verissima Cobeti emendatione. Simul quoque ἀντιλογία conspicitur in locutionibus sibi invicem oppositis πληθώρᾳ διαρραγῆναι et μηδενὸς ἐμπεπλησμένος; *plenitudine distentus dirumparis*, *nullo* (cibo) *repletus*.

Negatio οὐ δῆτα, cuius usus frequentior est, quam ut exemplis confirmetur, egregie respondet Sycophantae verbis: ἀπὸ τῶν ἐμῶν κτἑ et v. 893: ἀρνεῖσθον. Nam nunc demum ἄρνησιν habemus, quae vulgatis nulla inest.

Cic. Rep. VI, 12. ed. Orell.

Hic quum exclamasset Laelius ingemuissentque ceteri vehementius; leniter arridens Scipio, Quaeso, inquit, ne me e somno excitetis, et parum rebus; *audite cetera.*

Pro *et parum rebus*, quae est lectio Codd. antiquiorum, alii habent *et pax sit rebus;* utrumque sine dubio corruptum. Aliorum coniecturis haud paucis quidem, quas vide apud Orellium, et meam adiiciam. Mihi Ciceronis manus latere videtur in corruptis EXCITETISETPAXSITREBVS, quae parum differunt ab EXCITETISSEDPARCITEVERBIS. Hinc probabile fit scripsisse Ciceronem: — *leniter arridens Scipio, Quaeso, inquit, ne me e somno excitetis*, sed parcite verbis. *Audite cetera.* Interpellantibus a Scipione per iocum (*ne — excitetis*) urbane et comiter silentium imponitur. *Parcere verbis* significat *tacere, silere, non loqui;* et per euphemismum dicitur pro *sileatis, tacete, verba inhibete;* quod minus urbane ingenueque foret dictum. Sic et *parcere metu* significat *non metuere.* Vid. Virg. Aen. I, 257: *Parce metu*, i. e. *ne metuas.* Georg. II, 339: *parcebant fla-*

tibus Euri i. e. *non flabant.* Nec tantum poetae ita loquuntur. Liv. VI, 3: (Camillus) *parcere lamentis Sutrinos iussit*, i. e. *non lamentari.* Hinc quoque Caesaris vox in pugna Pharsalica: *Miles, parce ferro*, pro *ne trucidetis.* Vid. Peerlk. ad Virg. Aen. XII, 693:

Parcite iam, Rutuli; et vos tela inhibete, Latini.

CORRIGENDA.

Pag.	2.	vs.	2.	*pro*	scrip-tor	*legatur* scri-ptor
—	5.	—	13.	—	commutantur	— permutantur
—	9.	—	11.	—	commutentur	— permutentur
—	11.	—	12.	—	praemitur	— premitur
—	16.	—	4.	—	*praemit*	— *premit*
—	31.	—	11.	—	pe-regrinum	— per-egrinum
—	40.	—	6.	—	corrup-tum	— corru-ptum
—	47.	—	22.	—	duc-tus	— du-ctus
—	48.	—	10.	—	nus-quam	— nu-squam

H. Hellinghaus

DE

VERGILII ECLOGA IV.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO HELLINGHAUS.

PADERBORNAE.

TYPIS FF [illegible]I SCHŒNINGH.

PATRI CARISSIMO

HENRICO HELLINGHAUS

PII SUI ANIMI

TESTEM ESSE VULT HUNC LIBELLUM

S.

Omnes omnium temporum interpretes de eclogae IV, de qua disputaturus sum, fontibus, consilio, singulisque explicandis versibus dubitaverunt atque dissenserunt.

Iam M. Valerius Probus [1]) versu quarto:

„Ultima Cumaei venit iam carminis aetas"

deceptus utrum Vergilius de Sibyllae Cumaeae, an de Hesiodi aetatibus mundanis egisset in medio reliquit. Servius [2]) autem, de unoquoque fere eclogae versu, quid sibi vellet dubitans, modo ad Asinii Pollionis filium, modo ad Octavianum Augustum carmen nostrum rettulit.

Quod Christiani deinde, simulatque opibus atque potentia crescere et invalescere coeperunt, ut Romanis ex ipsorum scriptis novam religionem esse veram persuaderent, in suas partes traxerunt et de Christi in mundum adventu interpretati sunt. Itaque Vergilius ex Constantini Magni [3]) Lactantiique Firmiani [4]) tempore non solum saeculis subsequentibus [5]) — uno Hieronymo [6]) vehementissime repugnante — totamque per mediam, quae vocatur, aetatem, [7]) sed etiam renatis anti-

---

[1]) M. Val. Prob. comment. in Vergil. Buc. et Georg. ad eclog. IV, 4 (p. 9, 14. ed. Keil.): „Cumaei carminis vel a Sibylla . . . . vel Cum. carminis Hesiodi a patre Dio, qui Cumaeus fuit."

[2]) cf. Serv. ad eclog. IV, 6. 7. 13. 17.

[3]) Constantin. orat. ad sanctorum coet. c. 19—24 (Euseb. vit. Constant. IV, 32).

[4]) Lactant. div. institut. VII, 21.

[5]) cf. Piper.: *„Virgil als Theolog und Prophet des Heidenthums in der Kirche" (Evangel. Kalend. 1864) p. 60—65.*

[6]) Hieronym. epist. ad Paulin. LIII, 7.

[7]) cf. Piper. l. l. p. 24 sqq., p. 70—75. — Th. Creizenach *„Die Aeneis, die IV Eklogae und die Pharsalia im Mittelalter"* (Francof. a. M. 18[illegible]chwubbe, Vergilius per med[illegible]. . . . . florenti[illegible]lerborn. 1852).

quitatis studiis[1]) a viris doctissimis, neque minus litterarum antiquarum quam rerum divinarum peritis, plurimis, quales fuerunt Vives,[2]) Dan. Heinsius,[3]) de la Cerda,[4]) Is. Vossius,[5]) Hugo Grotius,[6]) Ruaeus,[7]) Christi praeco praedicatus est. Quae opinio eo diutius vigebat, quod primi eius adversarii, e quo numero Casaubonus,[8]) Buechner,[9]) Carpzovius,[10]) J. Reiskius,[11]) D. Blondelius,[12]) Gallaeus[13]) nominandi sunt, magis e doctrina Christiana quam ex sincera antiquitatis cognitione argumenta sua capiebant. Quibus multo eruditius deinceps in ecloga explananda versati sunt, ne H. de Seelen,[14]) Heumannum (l. l.), Boeclerum,[15]) Vignolium,[16]) Medicum Avenioum,[17]) aliosque levioris momenti scriptores commemorem,

---

[1]) cf. Piper l. l. p. 75. — Ch. A. Heumann. progr. quo Virg. iniuste laudari inter praecones Christi in orbem disputatur. Götting. 1728 p. 6—7.

[2]) Vives. de patientia III, 3; Allegor. Bucol. Virgil. (oper. T. I) p. 657.

[3]) D. Heins. de contemptu mortis p. 144 (Amst. 1621).

[4]) P. Virgil. Maronis Bucol. et Georgica argumentis, explicationibus, notis illustr. d. l. Cerda. p. 70 (Col. Agripp. 1628).

[5]) Is. Voss. de Sibyllinis aliisque, quae Christi natal. praecessere oraculis cap. V (Oxon. 1631).

[6]) H. Grot. de veritat. religion. Christ. IV, 9 (Amst. 1696).

[7]) Virgil. oper. in us. delph. ed. Ruaeus (edit. III. Paris. 1726) p. 29.

[8]) Casaub. exercitat. ad apparat. annal. XVIII p. 72 (1614).

[9]) Buechner. orat. de IV Virg. eclog. (Wittenberg. 1641).

[10]) Carpzov. dissertat. de Virg. eclog. IV (Lips. 1669).

[11]) J. Reisk. exercitat. de vatic. Sibyll. X. p. 51 (Lips. 1692).

[12]) Blondel. des Sibylles I, 13—15. (p. 57 sqq.).

[13]) Gall. dissertat. de Sibyll. cap. XVIII (p. 372 sqq.).

[14]) H. de Seelen de scriptoribus gentil. falso in Christian. ordinem relatis, spec. de frustra quaesitis in Virgilio rebus divinioribus (Flensburg. 1714).

[15]) Boecler, dissertat. in Buc. Virgilii (dissertat. acad. T. II, nr. XI p. 173).

[16]) Bibliothec. Germanic. Vol. XXXV. p. 173.

[17]) Memoires Trévolt. 1702. p. 8.

Fabricius,[1]) Burmannus,[2]) Nazaeus,[3]) interpretum denique Vergilianorum principes Heynius,[4]) Vossiusque.[5])

At quanta etiam inter tantos viros dissensio! Quid? quod Heynius hoc carmen penitus enucleari posse desperavit: „Probe arrogantem esse," inquit,[6]) „necesse foret eum, qui hoc sibi sumeret, aut sibi satis confideret, ut omnia a se expedita in hoc carmine esse pronuntiet: ipsa enim res, vaticinii indoles et lex, enuntiationis modus per mythica ornamenta, omnem conatum sufflaminant .... Quoties fide historica certa destituimur, omnisque res ad coniecturam redit, liberum cuique esse debet, pro ingenio suo ariolari, aut si nolit, omnino non ariolari, in qua quidem secta me esse profiteor."

Quare non est quod miremur etiam post viros illos eclogam cum aliis atque omnino novis consiliis — de quibus post sermo erit — explicatam, tum denuo relatam esse ad fontes Iudaicos. Friedliebius[7]) enim, Henricus Ewaldius,[8]) Hilgenfeldius,[9]) Hengstenbergius,[10]) alii, quod partes nonnullas, easque eclogae IV nonnihil similes, librorum Pseudo-Sibyllinorum, quos dicunt, iam secundo a. Chr. saeculo a Iudaeis Alexandrinis scriptas esse constat,[11]) Vergilium talia carmina

---

[1]) Bibliothec. Graec. I, 30, 14 (ed. IV. cur. Harless. 1790. p. 243).

[2]) Virgilii opera c. commentar. Servii etc. ed. P. Burmannus (Amstelod. 1746).

[3]) Histoire de l'acad. royal. des inscript. et belles lettres. Vol. XXXI (1768).

[4]) Virgilii opera variet. lect. et perpetua adnotat. illustr. a Ch. G. Heyne (edit. IV. cur. Ph. Wagner).

[5]) *Virgils IV. Ekloge mit einem Abschied an Hr. Hofrath Heyne von* J. H. Voss (Altona 1795); — *Virgils ländliche Gedichte von* J. H. Voss. (Altona 1797).

[6]) argument. ad eclog. IV.

[7]) Friedlieb. Oracula Sibyllina p. XXXIX (Lips. 1852).

[8]) H. Ewald. *Ueber Entstehung, Inhalt und Werth der sibyll. Bücher.* (Act. societat. litt. Goetting. VIII) p. 83. — *Götting. Nachricht.* 1858 p. 173.

[9]) Hilgenfeld. *Die jüdische Apokalyptik* p. 87.

[10]) Hengsten[illegible] *e des alten Testament.*

[11]) cf. impr[illegible] *Geschichte, Entsteh*

prophetarum vaticiniis imbuta imitanda sibi proposuisse ciunt. Gesenius [1]) vero, Seppius, [2]) Freymueller [3]) poeta firmant ab Herode Pollionis amico, [4]) qui anno 714 I fuisset, [5]) doctum, [6]) ipsis sacris Iudaeorum libris usum

Quae cum ita sint, si eclogam IV denuo tractare mur, neque incassum agere, neque quicquam opera ac tiore indignum moliri nobis videmur. Atque hac ra utemur, ut primum de argumenti fontibus, deinde, idque cipue, de puero, quem Vergilius celebraverit, disseramus

I.

Poeta, ut verbis paucissimis totum carmen comple cecinit haec: „Magno ab integro saeculorum nascente ord certis gradibus una cum pueri cuiusdam annis ascen ferrea mundi aetate ad primam atque auream. Quam tentiam Vergilius unde hauserit ipsius eclogae versu „Ultima Cumaei venit iam carminis aetas“ indicat. loco Fabricius (l. l.), Graevius, [7]) Göttlingius, [8]) Probi [9]) teram coniecturam secuti carmen Cumaeum putant esse id quod carmen Hesiodi, [10]) quippe cuius pater Cyme, ex u Acolidis, profectus sit. [11]) Quae opinio, quia Hesiodus neq

---

sammensetzung der sibyll. Bücher“ (Theolog. Zeitschrift von Schlei macher, de Wette, *und* Luecke I p. 162 sqq.).

[1]) Gesenius *Commentar. über Jesaias* I, 11, 6.

[2]) Sepp. *Leben Jesu* I p. 135.

[3]) Freymueller, *Die messian. Weissagung in Virg. Eklog. I* (progr. Mettens. 1852).

[4]) cf. Joseph. Antiqq. Jud. XV, 13.

[5]) cf. Joseph. l. l. XIV, 26.

[6]) Freymueller (l. l. p. 28) nuper, quod Heynius (argumen eclog. IV. init.) irridens suaserat, magno cum studio defendit.

[7]) Graev. lection. Hesiod. V.

[8]) Hesiod. opp. rec. et comment. instr. C. Göttling (ad op et d. 109).

[9]) cf. p. 5. not. f.

[10]) Respiciunt enim ad Hesiod. op. 75.

[11]) cf. Hesiod. l. l. 636.

apud Vergilium, qui eum nominat Ascraeum [1]) eiusque carmina Ascraea, [2]) neque apud ceteros scriptores Romanos Cumaeus appellatur, ferri non potest. Immo vero carminis Cumaei nomine et aliis locis et hoc loco nihil significatur, nisi fatum Sibyllae Cumaeae.

Tanta autem multitudo librorum fatidicorum, qui collecti undique, tamen, quo maior iis fides haberetur, omnes fere Sibyllae Cumaeae adscribebantur, [3]) Vergilii tempore Romae per vulgus circumferebatur, ut plus duo milia anno 741 [4]) publice per praetorem urbanum cremata sint; [5]) quae res ad comprehendendum est facillima: Romani enim bellorum civilium sceleribus atrocissimis obruti unde spem aliquam conciperent non habebant, nisi e vaticiniis tempora feliciora pollicentibus. Nimirum hominum animi, quotienscumque ingentibus calamitatibus perturbantur, totiens anili superstitione capi solent.

Atque adeo ipsius aetatis aureae reditum oraculo quodam Sibyllino, quod ecloga IV prodit, praedictum esse, quis est, qui miretur?

Paulo enim latius circumspicientes cum apud Indos, [6]) Persas, [7]) Aegyptios, [8]) tum in Graecia, unde plurima carmina Sibyllina Romam profluxerunt, [9]) apud Pythagoreos, [10]) Heraclitum, [11]) Empedoclem, [12]) Stoicos, [13]) aliosque philosophos [14])

---

[1]) Cul. 95: Aemulus Ascraeo . . . . . poetae.

[2]) Ge. II, 176: „Ascraeumque cano Romana per oppida carmen."

[3]) cf. Clausen. *Aeneas und die Penaten* I, p. 226.

[4]) Iam bello Punico II plurima vaticinia Romae emanasse tradit Livius XXV, 1. — [5]) v. Sueton. 31.

[6]) cf. Lassen. *Indische Alterthumskunde* I p. 599. II, p. 1118 (ed. II); Creuzer. *Symbolik* I, p. 601. (ed. II).

[7]) cf. M. Duncker. *Geschichte des Alterthums* II, p. 306 (ed. I).

[8]) cf. Lepsius, *Chronologie der Aegyptier* I p. 180.

[9]) cf. p. 12. not. 1.

[10]) cf. E. Zeller. *Die Philosophie der Griechen* III. 1. p. 141 not. (ed. II).

[11]) cf. Zeller. l. l. I, 1. p. 328. — [12]) cf. Zeller l. l. I.

[13]) de Stoicis [illegible] rit.

[14]) Orphicos [illegible] ἱστασιν docuisse minus cf. Lobeck. Agla[illegible] Creuzer. l. l. III p.

ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων καὶ παλιγγενέσεως spem diffusam atque serio discipulis traditam invenimus. Quae haud difficulter in carmina quoque, quae ferebantur, Sibyllina irrepere potuit.[1]) Itaque Vergilius ut rem tam tritam, eamque haud dubie apud Romanos plane notam cognosceret libris Iudaicis non indigebat. Quos quominus inspexisse eum existimemus, nedum, quod nonnulli volunt, expresserit, causae gravissimae obstant.

Omnes enim ingenui Romani gentem Iudaicam ita spernebant,[2]) ut certe nihil, quod ad eius religionem spectaret, assumerent carminibusque illustrarent. Accedit quod Iudaei libris suis quam poterant acerrime ut omnes populos ita Romanos exsecrabantur atque devovebant, neque solum prophetarum sacris vaticinationibus (quod satis notum est), sed etiam commentis Sibyllinis; quod cum alii loci librorum Pseudo-Sibyllinorum ostendunt, tum libri III, quem librum Friedliebius, Ewaldius, alii (cf. p. 7) maxime intuentur, versus[3]) 350—355 (rec. Alexandr.):

Ὁππόσα δασμοφόρου Ἀσίης ὑπεδέξατο Ῥώμη
Χρήματά κεν τρὶς τόσσα δεδέξεται ἔμπαλιν Ἀσσὶς
Ἐκ Ῥώμης ὀλοὴν δ' ἀποτίσεται ὕβριν ἐς αὐτήν.
Ὅσσοι δ' ἐξ Ἀσίης Ἰταλῶν δόμον ἀμφεπόλευσαν,
Εἰκοσάκις τοσσοῦτον ἐν Ἀσσίδι θητεύσουσιν
Ἰταλοὶ ἐν πενίῃ, ἀνὰ μυρία δ' ὀφλήσουσιν.
. . . . . .
(*Ἔσται*) . . . *Ῥώμῃ ξύμμη* (v. 364).

Iam vero, talia carmina Romanorum odio acerbissimo flagrantia Vergilium virum patriae amantissimum quae imi-

---

[1]) cf. p. 12. not. 1.

[2]) cf. Horat. sat. I, 9, 69: „vis tu curtis Iudaeis oppedere?“ — cf. sat. I, 4, 143; Cic. pro Flacco 28, 66.

[3]) Quos versus Bleekius (l. l. p. 236), Ewaldius (l. l.), Friedliebius (l. l. p. XXX et p. XXXIII) consentiunt medio secundo a. Ch. n. saeculo a Iudaeo quodam Alexandrino scriptos esse; Alexandrum (Oracul. Sib. excurs. ad l. III), qui solus versus 295—488 libri III post Ch. n. scriptos esse contenderat, Ewaldius l. l. refutavit.

taretur digna arbitrari non potuisse satis apparet. Quae sententia quam maxime cum aliorum, tum Gebaueri,[1]) W. Ribbeckii,[2]) Duentzeri[3]) disquisitionibus confirmata est, quibus unumquemque[4]) eclogae locum qui ad aetatem auream describendam pertinet, ex Graecorum et Romanorum, imprimis Homeri, Hesiodi, Arati, Theocriti, Lucretii, Catulli, Horatii[5]) carminibus haustum esse constat. Quod Freymueller, qui ad singulos eclogae versus ex Esaia locos similes quos Vergilius imitatus sit affert (l. l. p. 85), vel ii qui eadem ratione libros Sibyllinos Iudaicos respiciunt (cf. p. 5), omnino ignorant. Neque vero mirum est, quod Romani simili modo atque Iudaei tempora fortunata adumbraverint. Omnium scilicet nationum poetae aetatibus aureis sive praeteritis sive futuris eadem fere bona adscribunt. Quare Romanum Iudaeorum carmina expressisse ex locorum paucorum parva similitudine argumentari falsum est.

---

[1]) Gebauer. „de poetar. Graec. bucolic. impr. Theocriti carminibus in eclog. a Vergilio adumbratis" I (Lips. 1856); Id., „quatenus Verg. in epithet. imitatus sit Theocrit." (prog. Zwicav. 1863).

[2]) W. Ribbeck. „Vergilii auctores" (in appendice edit. O. Ribbeckii).

[3]) H. Duentzer: *„Vergilius und Horatius* (Fleckeis. annal. 99 p. 313 sqq.).

[4]) Versus 42—45 eclogae, quorum solorum fontes accurate statui non possunt, e terrarum peregrinarum descriptionibus opinamur depromptos esse; divulgatam saltem apud veteres talem de terris alienis famam fuisse hi loci demonstrant: Aristot. hist. animal. III, 12: „δοκεῖ . . . ὁ Σκάμανδρος ποταμὸς ξανθῷ πρόβατα ποιεῖν." Columell. VII, 2: „nasci in Asia colores ovium rutilos, quos vocant ἐρυθρούς;" cf. de la Cerd. ad eclog. IV, 43. Ceterum etiam apud Iudaeos locos versibus 42—45 similes Ewaldius l. l. ipse concedit non inveniri.

[5]) Primus Duentzer (l. l.) etiam Horatii epodum XVI, quem anno 713 scriptum esse Kirchner, Franckius, Teuffel. *(Ztscht. für Alterthumsw.* 1845 p. 612), consentiunt, solus Linker *(Verhandl. der 20. Philol.-Versammlung* p. 612) sine ulla graviore causa negat, ecloga IV expressum esse summa cum probabilitate demonstravit, ut mirer, quod Teuffel. *(Röm. L[illegible]ite* p. 469 ed. II) de hac r[illegible] dubitet.

Ceterum singillatim de oraculo illo Sibyllino Ron quo sive privato sivi publico [1]) Vergilius usus dicitur nihil accepimus; neque de saeculis redituris ulli eius temp scriptores quicquam commemoraverunt praeter Nigidium F lum, et M. Terentium Varronem. Quorum alter[2]) haec ref „Quidam deos et eorum genera temporibus et aetatibus pescunt, inter quos et Orpheus: primum regnum Satu deinde Iovis, tum Neptuni, inde Plutonis: nonnulli etiam magi, dicunt Apollinis [3]) fore regnum. In quo videndum ne ardorem (sive illa ἐκπύρωσις appellanda est) dica alter: [4]) „Genethliaci," inquit „scripserunt esse in renascer hominibus quam appellant παλιγγενεσίαν Graeci; hanc sc serunt confici annis quadringentis quadraginta, ut idem cor et eadem anima quae fuerint coniuncta in homine redean coniunctionem." Quibus verba adiungas M. Valerii Probi (l. „Sibylla . . . Cumaea . . post quattuor saecula παλιγγενεσ futuram cecinit," et Servii (ad eclog. IV, 4): „quae Cum fuit, et saecula per metalla divisit; dixit etiam quis quo s culo imperaret, et Solis ultimum, i. e. decimum voluit . . dixit etiam finitis omnibus saeculis rursus eadem renova De quibus Servii verbis C. A. Werner [5]) et Ph. Wagner certant, utrum Maro saeculum decimum an undecimum au um fore voluerit. Quae controversia, cum Varro — cui

---

[1]) Neque enim quae ipsi sacri libri Sibyllini Romani conti bant omnino erant ignota; nam carmina Graeca, e quibus libri i antiquissimis combustis, compositi erant (cf. Varro ap. Serv. ad Ae I, 36, et ap. Lactant. div. institut. I, 6, 11; Fenestell. ap. Lacta l. l. I, 6, 14, Tacit. annal. VI, 12) perinde ac ceteras litteras Graec Romae per vulgus emanasse, per se intellegitur. De qua re disp tavit Clausen. l. l. p. 252.

[2]) Nigid. Fig. de dis lib. III (ap. Serv. ad eclog. IV, 10).

[3]) cf. p. 15.

[4]) Varro de gente populi Romani (ap Augustin. de civit. d XXII, 28).

[5]) *Zeitschrift für Alterthum* Zimmermann 1841. nr. 59.

[6]) Ibid. nr. 89.

CCCCXL annos nihil esse nisi quattuor annorum centenorum denorum saecula Mommsenus [1]) iure conicit — Nigidius, Probus, quorum auctoritas in hac re magis valet quam Servii, de quattuor tantum saeculis narrent, otiosa est, totaque res videtur sic se habere: Aetates mundanae, quas Hesiodus quinque, Aratus tres cecinerat, postquam a poetis posteris, quo elegantius anni temporibus veri, aestati, autumno, hiemi responderent, quattuor [2]) numero constitutae sunt, ad illam de apocatastasi, quam dicunt, fabulam ita accommodabantur, ut quarta eaque ferrea finita reditura esse perhiberetur prima atque aurea.

Quod eclogae IV versibus 8—9:

. . . . . quo ferrea primum
Desinet ac . . . . . surget gens aurea . .

aperte declaratum invenimus. Postea sane — sive Iudaeorum Sibyllis, quae semper de decem mundi aetatibus loquuntur, auctoribus, sive natura doctrinae Tuscae, de qua p. 15 sermo erit, non perspecta, quod Mommsenus (l. l. p. 184) putat, sive; ut Fabricius (l. l. I, 30, 16) censet, longinquitate temporis post Hesiodum peracti considerata, sive, quae est Vossii (ad eclog. IV, 5) opinio, numero mensium priscorum Romanorum respecto, — numerus aetatum mundanarum auctus est, ut decem evaderent. Quare Iuvenalis (sat. XIII, 28):

„Nona aetas agitur, peioraque saecula ferri
Temporibus, quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen et a nullo posuit natura metallo;“

itemque Sibylla Cumaea Servio auctore postea de saeculis decem cecinit; sed et Vergilio et Ovidio [3]) aetas ferrea et quarta et ultima est.

Cui vero tempori Sibylla aetatis ferreae finem promiserit nescimus; sed oraculo ipso certum tempus existim[illegible]

---

[1]) Momm[illegible] [illegible]g. p. 184 (ed. II
[2]) De ha[illegible] [illegible]ann. *Mytholog.*
[3]) Ovid. [illegible] „de duro est ul

non esse, ut unicuique, cum eius spei plurimas causas haberet, tum aetatis aureae exordium exspectare liceret; recte enim Cicero (de divinat. II, 54, 110): „Callide, qui illa (scil. carmina Sibyll.) composuit, perfecit ut quodcumque accidisset, praedictum videretur, hominum et temporum definitione sublata.“

Praeter illud, de quo modo dixi, etiam aliud oraculum ad eclogam IV nonnihil pertinet; de quo narrat Cicero (l. l.): „Quorum (sc. librorum Sibyllin.) interpres nuper falsa quadam hominum fama dicturus in senatu putabatur eum quem re vera regem habebamus appellandum quoque esse regem, si salvi esse vellemus;“ similiter Cassius Dio (XLIV, 15): *„λόγου γάρ τινος εἴτ' οὖν ἀληθοῦς, εἴτε καὶ ψευδοῦς (οἷά περ φιλεῖ λογοποιεῖσθαι) διελθόντος, ὡς τῶν ἱερέων τῶν πεντεκαίδεκα καλουμένων διαθρούντων, ὅτι ἡ Σίβυλλα εἰρηκυῖα εἴη, μήποτ' ἂν τοὺς Πάρθους ἄλλως πως πλὴν ὑπὸ βασιλέως ἁλῶναι*, item Plutarchus (Iul. Caes. 60): *Καίτοι γὰρ λόγον τινὰ κατέσπειραν εἰς τὸν δῆμον οἱ ταύτην Καίσαρι τὴν τιμὴν προξενοῦντες, ὡς ἐκ γραμμάτων Σιβυλλείων ἁλώσιμα τὰ Πάρθων φαίνοιτο Ῥωμαίοις σὺν βασιλεῖ στρατευομένοις ἐπ' αὐτούς, ἄλλως ἀνέφικτα ὄντα*; idem denique Suetonius (Iul. Caes. 79) tradit. Quae omnia a Caesaris amicis ficta atque dissipata esse ex ipsis auctorum verbis colligi potest. At nihilo minus Vergilius cum puero potestatem fere regiam atque summam gloriam vaticinaretur fortasse oraculi latissime diffusi recordatus est.

Sed de oraculis Sibyllinis hactenus.

Praeterea poetam censeo etiam Stoicorum de anno mundano decreti rationem habuisse. Qui Pythagoreos secuti haec[1]) docuerunt: Magno anno mundano finito mundoque hoc combusto novum mundum exorturum esse, eumque priori tam parem, ut omnes res, personae, facta, quibus condicionibus antea fuissent, iisdem essent reditura. Qua doctrina, quibus

[1]) cf. M. Sonntag de palingenesia Stoicorum, E. Zeller l. l. III, 1. p. 140 sqq., E. Wellmann *die Philosophie des Stoikers Zenon* (Fleckeis. Jahrb. Suppl. 107) p. 471.

eclogae versus 5. 6. 10 („tuus iam regnat Apollo“ cui versui verba Nigidii, quae p. 12 attuli, comparanda sunt). 34 sqq. aperte imbuti sunt, Vergilium facile intellegitur ad carmen de reditura prima aetate mundana canendum aliquo modo adductum esse; plurimi enim carminum loci quantopere poeta dogmatum Stoicorum amans fuerit ostendunt.[1]) Quae vero philosophorum sententia melius ratione poetica tractari exquisitiusque exornari poterat, quam ea, quacum etiam illam de aetate aurea fabulam libentissime semper a poetis expictam pulcherrime coniungi licebat?

Denique, veris eclogae argumenti fontibus exhibitis, restat, ut eos reiciamus, quibus hoc carmen etiam ad Etruscorum de saeculis doctrinam videtur spectare. Quam opinionem, quamquam iam O. Mueller[2]) convicit, tamen alii denuo neque eam novis argumentis firmatam proferunt. At ex his Censorini verbis[3]) „quare in Tuscis historicis . . . et quot numero saecula ei genti data sint, et transactorum singula, quanta fuerint, quibusque ostentis eorum exitus designati sint, continetur; itaque scriptum est . . . . octavum tum demum agi, nonum et decimum superesse, quibus transactis finem fore nominis Etrusci“ Etruscos efficitur et de suae ipsius gentis saeculis, neque de redituris quicquam tradidisse. Neque vero ad Romanorum, sed ad Etruscorum saecula spectant quae Servius ad eclog. IX, 47 narravit: „Cum Augustus Caesar ludos funebres patri celebraret, die nudio stella apparuit. Ipse animam patris sui esse voluit. Sed Vulcatius haruspex in contione dixit cometen esse qui significaret exitum noni saeculi et ingressum decimi; sed quod invitis diis secreta rerum pronuntiasset, statim se esse moriturum, et nondum finita oratione in ipsa contione concidit,“ quibus verbis omnes fere interpretes[4]) eclogam IV explanare student; non illi

---

[1]) De hac re copiose disseruit Lersch. antiquitat. Vergil
[2]) O. Mueller. F 338.
[3]) Censorin. c (ed. Hultsch.).
[4]) Novissimo t s (Prologom. crit. V
Duentzer (l. l. p. 314 24), Ladewig. (edit

quidem recte! Nam Etruscorum saeculorum natur
initia portentis miraculisque divinitus missis indicebant
Romani vero, quod Censorino (l. l. p. 35, 7) auctore „s
lum naturale quantum esset exploratum non habe
civile ad certum modulum annorum centum statuer
Tota igitur Servii de Vulcatio narratio, nisi est fabula, id
Mommsenus (l. l. not. 373) iure videtur esse suspicatus,
ad Etruscorum saecula spectat et ab ecloga IV prorsus a
est; quare ad hoc carmen a Servio ipso non commemor

II.

De puero ecloga IV celebrato alii aliter statuerunt;
Heynius (argument. ad eclog. IV): „Enimvero," inquit, „q
sum bonum otium contero in exponendis opinationibus
ariolationibus (scil. de puero), in quibus nihil ad liquid
perduci potest! Quid autem, si ne locus quidem a
lationi est, quis puer ille fuerit, quem Maro nascen
memorat;" similiter Wunderlichus[2]) et Forbiger[3]) profiten
„Mihi quidem non sumo tantum, neque arrogo, ut litem i
tantos viros de puero nascituro ortam componere me po
putem." Novissimo quoque tempore Schaper[4]) et Gebhardiu
hoc carmen nisi versus nonnulli emendentur ad null
puerum apte referri posse arbitrantur. At haec quaestio
sola de causa multis difficilior videtur esse, quod ver
singulos falso interpretantes de puero maiora quam po
ipse praedicant; quare quem locum ille in ecloga IV qua
tradita est re vera obtineat inquiramus.

---

[1]) cf. Censorin. p. 22, 5. Plutarch. Syll. 7.

[2]) Virg. opp. c. animadv. ed. E. C. Wunderlich et F. E. Ru
kopf (argument. ad eclog. IV).

[3]) Virgil. opp. rec. et illustr. A. Forbiger (ad argument. eclog. IV

[4]) C. Schaper „*Ueber die Entstehungszeit der Vergilschen Ekl
gen*" (Fleckeisen. annal. 89) p. 794; „de eclo erpr
tandis et emendandis" (progr. Posnan. 1872) p

[5]) Gebhardi „*Vergils IV Ekloge (Berlin Gym
nasialwesen* 1874. *August.*) p. 561 sqq.

Atque primum Schaper (Fleckeis. l. l. p. 646) et Pluessius [1]) qui soli iam versum 7. de puero intellegunt refutandi sunt. Etenim universa novi saeculi natura versibus 6—7, quorum etiam uterque „iam" particula incipit, definitur, eaque ita, ut et tempora aurea redeant, (v. 6: . . „redeunt Saturnia regna") et homines aurei fiant (v. 7: „iam nova progenies caelo demittitur alto," qui versus iam apud Constantinum iure ita vertitur: „*ἔνθεν ἔπειτα νέων πληθὺς ἀνδρῶν ἐφαάνθη*"). Neque „caelo demittitur alto" idem est quod „*ein gottgesandter Genius wird Mensch*" (Schap. p. 771. 793), vel „*ein göttlicher Knabe soll vom Himmel kommen*" (Pluess. p. 149. 151.); immo ea verba quibus insolita alicuius rei natura vel origo significaretur Romanis fuisse in proverbio his locis perspicitur: Cic. de nat. deor. I, 8, 18: „tanquam modo ex deorum consilio, et ex Epicuri intermundiis descendisset;" Cic. ad Quint. fr. I, 1, 2: „e caelo divinum hominem esse in provinciam delapsum"; Cic. de imp. Pompei XIV, 41: „Omnes . . . . Pompeium sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de caelo delapsum intuentur"; Lucret. de rer. nat. II, 1153: „Haud, ut opinor, enim mortalia saecla superne | Aurea de caelo demisit funis in arva;" Quintilian. I, 6, 16: „Non enim . . . . analogia demissa caelo formam loquendi dedit, sed inventa est." Bene igitur Servius ad v. 7: „ut videantur" inquit, „homines non ex mortalibus nati, sed ex numinibus, et quasi caelo lapsi." Ceterum Maronem veri simile est hoc loco Hesiodi verba (op. et d. 109—110):

„*Χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων*
Ἀθάνατοι ποίησαν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες"

observasse.

Versibus deinde 8—10 Lucina, partuum patrona, invocatur, quae primo aetatis aureae puero faveat. Nam cum ex tota verborum constructione, tum ex „primum" particula, „quo" pronomini iungenda, verba „quo . . . . desinet" liquet non

---

[1]) Pluess. *die Octavian. Augustus* *eit und die Wiedergebu* 101) p. 149. 151.

valere „quo auctore . . . . . desinet," sed „quo nato" vel „post quem natum desinet." Quare puer, tametsi Lucina favente una cum aetatis aureae et exordio nascetur et incrementis adolescet,[1]) tamen versu 8 haud appellatur novi saeculi auctor vel causa.

Versus deinceps 15—17, quos plurimi de puero interpretantur, J. Ch. Jahnius[2]) et Schaper (p. 648), quoniam „at" particula verba „tibi puer" (v. 18) pronomini „ille" (v. 15) opposita sint, ad eum spectare negant. Gebhardius (p. 564) autem eadem causa commotus versus 15—16 post v. 47 legendos et versum 17, versui 14 adiunctum, „pacatumque reges" scribendum esse opinatur.

At mea quidem sententia „at" particula, quam concedo hoc loco coniunctionem esse adversativam[3]), ea ratione posita est, ut poeta versibus 15—17 de universa pueri vita, versibus autem 18 sqq. de eius prima infantia loquatur: vitam pueri fore clarissimam („pacatumque reget . . . orbem") atque divinam („ille deum vitam[4]) accipiet"); „munuscula" tantum terram fusuram esse cunabulis; honores igitur quos poeta versibus 15—17 pollicetur, et „prima munuscula" versibus 18 sqq. enumerata „at" particula disiunguntur. Quare quominus versus 15—17 coniectura Gebhardii neglecta referantur ad eundem qui versu 18 compellatur nihil obstat.

Attamen versus 15—16 de quolibet aetatis aureae puero poterant dici; totam enim progeniem auream apparet vitam deorum heroumque familiaritate ornatam atque divinam („deum vitam") accepturam esse, qualem etiam prioris aetatis aureae homines egerant, de quibus Hesiodus (l. l. 112): „*ὥστε θεοὶ δ' ἔζωον, ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες*", et Catullus (epithal. Thetid. 385 sqq.):

---

[1]) cf. v. 18 sqq. 26 sqq. 37 sqq.

[2]) Virgilii opera . . . . ed. J. Ch. Jahn, Lips. ed. IV 1850 (ad eclog. IV, 15); id. nov. annal. 1833 p. 639.

[3]) Ceterum de hac re potest disputari; cf. Tursellin. I, p. 422.

[4]) De his verbis infra disputabitur.

„Praesentes namque ante domos invisere castas
Heroum, et sese mortali ostendere coetu
Caelicolae, nondum spreta pietate, solebant“,

et Ovidius (fast. I, 250):

„Ultima de superis illa (sc. Justitia dea) reliquit humum.“

Neque in caelo puerum cum dis victurum esse — quod Pluessius [1]) et Gebhardius (p. 565) volunt — versibus 15—16 divinatur, sed in ipsa terra illum immixtum iis fore.

Insignis autem honor puero versu 17 promittitur, ad quem versum „tanquam ad scopulum“ Heynius putat „omnes de puero nascituro opiniones offendi.“ At vir doctissimus verbis „reget orbem“ vim nimiam subicit. Populi sane Romani erat totum orbem terrarum regere;[2]) quare Vergilius, si anno 714[3]) carmine Pollioni liberae rei publicae amico[4]) inscripto puerum quendam canit orbem recturum esse, minime regnum quale Octavianus postea adeptus est, sed liberae rei publicae summam administrationem dicit. Consulatu [5]) igitur summo rei publicae honore puer fungetur atque sic quodam modo orbi imperabit. Neque iure Heynius „regere“ vocabulum in consulis munere dici negat; ita enim Cicero (acad. III, 36): „Age,“ inquit, „restitero Peripateticis . . . . qui claros viros a se instructos dicant rem publicam saepe rexisse.“

Tum aetatem auream paulatim una cum pueri exspectati annis appropinquantem fingit; sed his quoque versibus (18—45) auctor vel causa bonorum tantorum ille non nominatur.

---

[1]) cf. p. 26.

[2]) cf. Aen. VI, 852: „Tu regere imperio populos Romane memento.“

[3]) cf. p. 21 sqq.

[4]) cf. Cic. ad fam. X, 31—33, XI, 11, 1. — cf. R. Thorbecke, commentat. de C. Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae (Lugd. Batav. 1820) p. 4 sqq.

[5]) Bene Ruaeus (l. l. p. 30): „Rector orbis est consul. S[i] enim loqui tunc adhuc p[o] udum scilicet exstincta publica, immo spe tum v[i] tituendae mox a trium antiquae libertatis, ut ex

Qua descriptione absoluta poeta puerum adhortatur, ut honores [1]) instantes adeat; neque versui 49 vis maior subest quam Homeri verbis *διογενής*, *διοτρεφής*, quibus heroes saepissime compellantur. Ceterum recte Duentzer: „magn. Jov. increm: *insofern Juppiters Gunst ganz besonders auf diesem ersten Kinde des goldenen Weltalters ruht.*“

Exsultantis deinde nimia fere laetitia poetae sunt versus 53—56; attamen nonne poeta gratulans, quanto saeculum instans bellis maximis ab heroibus clarissimis gerendis (v. 31—36) antecedenti praestaret, puerque summo rei publicae munere administrando dignitate ipsis heroibus antecelleret, tanto praeclariora etiam facta eius fore praedicere debuit?

Postremo versibus 60 sqq. puerum iterum admonet, ut tandem matri rideat, et parentes sibi vicissim ridere patiatur, i. e. — si sermone utimur — ut nascatur, et primo [2]) eoque suavissimo vitae documento, risu, matrem summa fastidia perpessam merito hilaritate afficiat: tempus enim intimae deorum cum hominibus conciliandae consuetudinis instare — quod etiam versu 15—16 enuntiatur — ut homines vel deorum mensas dearumque cubilia adire fas sit; attamen eum nisi feliciter, Lucina favente, nascatur, honorum destinatorum haud fore participem. Schaper [3]) Vergilium „matri longa decem tulerint“, vel „abstulerint fastidia menses“ scripsisse conicit. „Matri“ inquit, „longa fastidia i. e. cruciatus animi suspensi eximent decem menses quibus ventrem feret, et te pariet.“ Ad quod iure Gebhardius (p. 566): „*Steht das aber da? Kann das so ausgedrückt werden: die 9 Monate*

---

[1]) „magn. hon. *nicht die hohen Ehrenstellen, sondern das ehrenvolle Leben das des Knaben wartet*“ Duentzer (l. l.); cf. Ciris 205.

[1]) Gebhardius (p. 565), quasi vero in interpretando historiae naturalis scriptore versemur: „*Der Knabe wird*, inquit, *wenn er anders ein lebensfähiger Weltbürger, sei es auch des goldenen Zeitalters, ist, doch wohl eher durch das Gegentheil (von Lachen) seine Anwesenheit bemerkbar machen*“!

[2]) Schaper. „de eclogis Vergilii interpretandis et emendandis.“ (progr. Posnan. 1872) p. 40.

werden die Mutter von ihrer Qual befreien? Die 9 Monate befreien sie doch wohl nicht, sondern steigern doch wohl nur die Beschwerden; erst nach Ablauf dieser Zeit hören nach der Geburt die fastidia *auf!*“ Nec vero est, cur Gebhardium (l. l.) sequentes versus 60—63 iam a Quintiliano (IX, 3, 8) commemoratos quos vidimus optime explanari posse, Vergilio abiudicemus.

Satis igitur puerum ne uno quidem eclogae versu aetatis aureae auctorem vel causam prodi cognovimus. Qui hoc ipso tantum inter aequales eminebit, quod primus cum exordio et incrementis novi saeculi ipse nascetur et adolescet, rei publicae summo magistratu fungetur, ipsosque heroas ut dignitate ita factis superabit. Quae omnia, si ipsius oraculi Sibyllini naturam, poetae indolem atque ingenium, denique quae supra ad singulos diximus locos reputaverimus, de quovis puero nobili fatebimur potuisse dici.

Iam vero ut pueri personam exploremus, primum quo tempore ille exspectatus sit, sive quo anno poeta eclogam IV condiderit nobis statuendum est. Quod certius de carmine nullo videtur fieri posse: nam versibus 11—12 si genuini sunt eclogam anno 714 quo C. Asinius Pollio consul fuit[1]) scriptam esse puerique ortum tum[2]) appetiisse apertum est. Quare ii quibus hoc carmen ad nullum puerum anno 714 exspectatum referri posse videbatur, ex versu 12 Pollionis nomen detrudebant. Iam Vignolius (l. l.) quo opinionem suam Vergilium ecloga IV de Marcelli et Juliae filio, nato anno 724, eo tempore, quo M. Tullius M. F. Cicero consul suffectus esset, cecinisse firmaret, „te consule inibit Tullio“ scripsit. Quae coniectura pravissima cum merito ab omnibus praeter

---

[1]) cf. Dio XLVIII, 15, 32, Joseph. antiqq. Iud. XIV, 14, 5; XV, 10, 1. fast. Capitol. ap. Mommsen. C. I. L. I. p. 465. Ceterum extremo anno 714 ad dies paucos suffecti sunt consules L. Cornelius Balbus et P. Canidius.

[2]) cf. v. 8: „nasce[illegible] 10: „decus hoc aevi t[illegible] sule inibit Pollio.“

Burmannum (l. l. p. 63) interpretibus spreta et neglecta sit, hoc loco omnino omitti potest.

Schaper deinde Pollionis nomine remoto „te consule inibit | Orbis“ legendum esse censuit. Similiter Gebhardius (p. 563) Schaperi argumentis, quibus nova non addit, nisus „te consule inibit | Saecula“ scripsit. Quare quo iure illi emendationes tam audaces admiserint, examinemus.

Atque primum Schaper nullam causam fuisse contendit, cur Vergilius anno 714 aetatis aureae spem enuntiare potuerit. Sed nonne is annus omnes Romanos spe summa imbuere debuit? Tum enim tandem, pace Brundisina [1]) composita nuptiisque Octaviae Octaviani sororis cum Antonio factis, tempora pacata e caedibus sanguine flammis progigni videbantur. At quem existimamus maiore laetitia atque hilaritate affectum esse quam Vergilium, qui tanto belli odio, tanto pacis amore ardebat, ut cum omne bellum [2]) tum bella civilia [3]) quam maxime detestaretur, libentissime semper pacem Saturniam celebraret, summisque laudibus Octavianum, quod eam restituere videretur, efferret. [4]) Quid? nonne poeta hoc quoque carmine (v. 13. 17. 31 sqq.) quantopere pacem amaret, aperuit? Quare haud mirandum est, quod pacto Brundisino nuntiato vehementissima animi laetitia excitatus est, ut furore poetico accensus iam tempus illud beatissimum de quo Sibylla vaticinata esset, aetatem auream instare cecinerit.

„*Aber* — inquit Schaper (Fleck. l. l. p. 634. 645) — *im Jahre 714 konnte die Lage der römischen Verhältnisse*

---

[1]) Eclogam IV non post pacem Puteolanam vel Misenensem scriptam esse docuit Heynius (vit. Verg. per annos digest. ad a. 714).

[2]) cf. eclog. VI, 7. X, 44. Aen. V, 411. 545. VII, 325. 339. 395. 461. 550. VIII, 327. XI, 215. 589.

[3]) cf. eclog. I, 72, Ge. I, 501 sqq. Aen. VI, 833. X, 35. 146. XI, 535. XII, 572.

[4]) v. Teuffel. *Gesch. der röm. Litt.* p. 443, 6 (ed. II): „*Für die Gegenwart freut sich Virgil vor Allem des gewonnenen Friedens, und versäumt keine Gelegenheit, den Urheber dieses Zustandes in jeder Tonart zu preisen.*“

nur einen sehr kurzsichtigen Mann durch die Hoffnung auf einen langen und glücklichen Frieden täuschen!“

At ne Vergilius quidem ipse bella omnia putat debellata esse, immo vero v. 31 sqq.:

„Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
Quae temptare Thetim navibus, quae cingere muris
Oppida . . . iubeant . . . . . .
Alter erit tum Tiphys, et altera, quae vehat Argo
Delectos heroas; erunt etiam altera bella;
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.“

Ad quos versus optime Duentzer (l. l.): „*Noch stand Sextus Pompejus den Machthabern entgegen . .; bei* magn. Achill. *schwebt Pollio's höchster Freund Antonius vor; bei der* Argo *vielleicht ein Zug Octavians nach Westen.*“ Quare Gebhardius (p. 565) versus 34—36, qui optime totius carminis consilio serviunt, haud iure delet; accedit, quod poeta iam versu 16 (cf. p. 18) heroas terram ingressuros esse praedixit. Neque quod bella nonnulla fore ipse perspexerat causa minima fuit, cur novum saeculum tanquam gradatim adveniens faceret; postea vero, quo tempore Schaper eclogam scriptam esse vult „*als* — ut ipsius verbis utar — *der spätere Kaiser Augustus in gottgleicher Ruhe thronend dem Volke Ruhe und Frieden für lange Zeit zu verkünden schien*“ (Fleck. l. l. p. 646), „*wo Virgil seine Stellung befestigt, und in ihm und seinem Hause den Hoffnungsstern des friedlichen Glückes der Menschheit aufgehen sah*“ (l. l. p. 639), „*als er nach vollständiger Besiegung aller seiner Feinde daran denken konnte und musste den Frieden, den er dem Staate gegeben, durch die Wahl eines Nachfolgers zu befestigen*“ (l. l. p. 793), tum versus 31—36 dico minus aptos fuisse. Dementis sane hominis fuisset anno 714 aetatem auream declarare praesentem, cuius initia appetentia fingere poetam inflammatum ad pacem illam laetissimam Sibyllae carmen accommodantem haud dedecebat.

Alii etiam alia logam IV anno 714 con
tam esse opinantur los saeculares eo tem

instituendos cantare voluisse. Quam sententiam primus Cornelius de Pauv[1]) cum Heynio communicavit, nuper Carol. Ludov. Rothius[2]) denuo protulit sagaciterque defendit sic ratiocinatus: „*Nach der bisherigen Praxis*[3]) *hätte das Säkularfest (das V. historisch verzeichnete) im J. 705 abgehalten werden müssen . . . . . Vielen im Volke war die Unterlassung schmerzlich, wie dies aus der Erzählung über Vulcatius erhellt, und das Jahr 714 (nach der Julianischen Zeitrechnung 715 wegen des* annus confusionis *von 445 Tagen) schien man für einen schicklichen Zeitpunkt der Feier zu halten, wenn man das* saeculum *zu 110 Jahren berechnen würde. Ich schliesse dies aus den feurigen Säkulargefühlen die sich in Ekloge IV aussprechen. Die Verse 4—5 jenes Gedichtes, in Verbindung mit* Probus *Scolion:* „Sibylla Cumana post 4 saecula *παλιγγενεσίαν* futuram cecinit, *beweisen nach meiner Meinung unwidersprechlich, dass das Sibyllenorakel, auf welches Horaz* (carm. saec. 5) *ausdrücklich hinweist, schon 714 cursirte. Dasselbe ist bekanntlich von Phlegon* (Macrob. IV) *und von Zosimus* (II, 6) *erhalten, und ist der beste Commentar . . . zu Ekloge IV, die ein echtes* carmen saeculare *ist, und sich auf die projektirte Abhaltung der V. Säkularfeier durch Pollio bezieht.* Idem denique Schoemannus[4]) coniecit.

Quibus viris doctis quominus assentiar haec me prohibent. Ac primum quidem neque ullo eclogae loco ludorum saecularium mentio fit, neque ex alio rerum Romanarum scriptore unde

---

[1]) ap. Heyn. edit. Verg. Vol. IV, p. 227 (ed. II).

[2]) C. L. Roth. „*Ueber die römischen Säkularspiele*“ (Mus. Rhenan. VIII) p. 365 sqq.

[3]) Rothius Valerio Antiate (quem secuti sunt Varro et Livius), qui lud. saecul. anno 605. factos esse tradit (Censorin. 17, 11), auctore utitur; iure tamen Mommsen. (l. l. p. 181) Pisonis, Cn. Gellii, Cassii Heminae testimoniis (Censor. l. l.), qui ludos illos anno 608 institutos esse referunt maiorem auctoritatem impertit.

[4]) G. F. Schoemann. prolusio de Romanorum anno saeculari ad Vergil. eclog. IV (progr. universitat. Gryphiswald. 1856).

homines tum de ludis saecularibus cogitasse appareat quicquam afferri potest. [1])

Verba deinde Vulcatii supra demonstravimus ad Etruscorum, non ad Romanorum saecula referenda esse.

Oraculo denique Sibyllino a Phlegonte et Zosimo servato neque ecloga IV explicatur, [2]) et praescribitur tantum, ut ludi saeculares tum fiant:

„Ὁπόταν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισιν
Ζωῆς εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων."

Quae cum ita sint, opinio ea stare non potest, et quia pax Brundisina qua spes illa poetica Vergilii comprehendatur sufficit, ad rem nostram ne necessaria quidem est.

Primum igitur Schaperi argumentum refellimus; alterum quod profert, numerorum inter se comparatorum differentiam tantam esse, ut eclogae IV. VI. X eodem tempore, quo ceterae, ante annum 724 scriptae esse non possint, iam O. Ribbeckius [3]) satis superque redarguit, ut nihil reliquum sit, quod hoc loco addam.

Denique Schaper (Fleck. l. l. p. 634. 638) quod Maro hoc carmine Pollionis filium, de quo si versus 11—12 sint genuini ecloga IV interpretanda sit, celebrare non potuerit, corrigendi causam tertiam eamque gravissimam esse censet. At videamus, num ecloga, si Vergilius „te consule inibit | Pollio" scripsit, re vera ad nullum ortum spectare possit, nisi C. Asinii Galli Salonini. [4])

Ii quidem qui Octaviae et Antonii, Scriboniae et Octaviani, aliorum prolem celebrari existimabant, nobis prorsus omittendi sunt; quos cum alii tum imprimis Vossius tanta eruditione atque sagacitate refutavit, ut nemo amplius de pueris illis cogitare possit.

---

[1]) cf. Heyn. l. l.

[2]) cf. Mommsen. l. l. not. 362.

[3]) O. Ribbeck. prolegom. Vergilian. p. 12.

[4]) Asinium C [illegible] 'num Vossius satis demor sonam esse unar [illegible] 's fabulatus erat, duas

Alia vero, eaque nova omnino ratione Pluessius (l. l. p. 149 sqq.) nuper hoc carmen enucleabatur: „Divinam Octaviani regenerationem ecloga IV praedicari: quem vivum ideo honoribus divinis affectum esse, quod Romanorum opinione Caesare deo in caelum recepto deus renatus sit. Quod hac ecloga quidem non tangitur; immo vero Pluessius singulorum versuum interpretatione perversa utitur. Atque primum versum 7 supra (p. 17) cognovimus neque ad verbum vertendum neque ad puerum referendum esse. Quare falso Pluessius: *„der göttliche Knabe soll vom Himmel kommen“* (p. 149) *„. . . . Octavian kommt wirklich vom Himmel“* (p. 151). Neque minus Pluessii verba *„der göttliche Knabe soll . . . das goldene Zeitalter allmählich heraufführen, . . . durchaus selbstthätig auftreten als Urheber . . . der neuen Zeit“* (p. 149) reicienda sunt; nullo enim loco puer aetatis aureae auctor proditur. Deinde vir doctus errat, quod puerum eundem eodem tempore et in caelo deum victurum, et in terra hominum regem habitaturum esse, ita ut vitam agat duplicem enuntiari arbitratur. *„Der Knabe soll,“* inquit (p. 150) *„von Anfang an mit den Göttern leben als Gott, und zugleich als Gottmensch die Erde regieren . . . Die Herrschaft auf Erden, wie das gleichzeitige Leben im Himmel wird ausdrücklich dem einen erwarteten Knaben verheissen;“* p. 151: *„Octavian . . . führt wirklich, als König auf Erden, und Gott im Himmel, ein gottmenschliches Doppelleben.“* Quae, si poeta re vera vaticinatus esset, nos Pluessio (p. 150. 151) concederemus, de nullo nisi divino puero dici posse. At versibus 15—16, quos intuetur aliud quiddam vidimus (p. 30) promitti: puerum dis in ipsa terra immixtum rem publicam administraturum esse; vita igitur duplex, et in caelo et in terra agenda, ei non praedicitur.

Denique versus quoque 60—64 non recte a Pluessio intelleguntur: *„also,* inquit (p. 150), *wenn der Knabe nicht bald nach seiner Geburt die Mutter erkennt und ihr zulächelt, und sie ihm nicht wieder lächelt, so ist er der verheissene Gott nicht: eine sonderbare, grausame, nachträgliche*

Bedingung!“ Quae condicio a solo interprete, non a poeta fertur; cf. quae p. 20 sqq. de his versibus diximus!

Tota igitur Pluessii de puero conclusio, postquam eius interpretationem qua maxime nititur convicimus, concidit. Cui etiam quod ecloga anno 714 scripta est, id quod Pluessius concedit quam maxime repugnat. Quo enim iure poeta Octavianum anno 714 adloqui potuit:

„At simul heroum laudes et facta parentis
Iam legere, et quae sit poteris cognoscere virtus“?

Quod eo anno neque de deo, neque de homine Octaviano ullo modo dici poterat. Sed Pluessius tantum abest ut anni 714 et temporum singulis eclogae versibus indicatorum rationem ullam habeat, ut ad arbitrium suum omnia accommodans ita concludat (p. 151): „*Wenn Octavian als Cäsars Sohn göttlich wiedergeboren ist, dann stimmt alles . . . . . Er regiert mit den Tugenden seines Vaters Cäsar* (annone 714? de puero etiam „reget“ dicitur!), *dessen Thaten er bewundert und nachahmt* (at Maro: „simul . . . facta parentis iam legere . . . poteris!), *und vertilgt die letzten Spuren des Bürgerkrieges* (non puero, sed Pollione duce „sceleris vestigia inrita . . . solvent formidine terras!“). *Octavian endlich muss bald (!) im Lächeln die Mutter erkennen . . . .*“ Iam qui hoc modo argumentatur, demonstrare potest omnia. Denique Pluessio considerandum erat, id quod iam Vossius (argument. ad eclog. IV) demonstraverat, anno 714 Octavianum neque apud Vergilium neque apud Pollionem gratia tanta acceptum fuisse, ut hac ecloga consuli inscripta celebrari potuerit.

Quae cum ita sint, ut Pluessii sententia refutata eo unde digressa est oratio revertamur, nullum puerum de quo poeta ecloga IV cecinisse posset, anno 714 natum vel exspectatum esse, nisi filium Pollionis Schapero concedamus. At — vereor enim, ne molestus sim, si quae omnia cum alii tum imprimis Vossius p[illegible] C. Asinii Galli Saloni[illegible] attulerit, hoc loco r[illegible]ibus ex causis eclogam de eo explic[illegible]t?

Quarum gravissimam (Fleck. l. l. p. 770—771), qua hoc carmine de puero praedicantur, tanta poetam de Pollio filio enuntiare non potuisse, iam supra refellimus. Om enim deprehendimus (p. 21) de quovis puero nobili cu patre Maro amico vel patrono uteretur potuisse dici. I vero poeta quantopere Pollionem praesidio Maecenatis Octaviani conciliato agroque paterno servato optime de meritum [1]) amaverit, his locis ostendit:

eclog. III, 84 sqq.:

D. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.
M. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Iam cornu petat et pedibus, qui spargat harenam.
D. Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet;
Mella fluunt illi, ferat et rubus asper amomum.

eclog. VIII, 6 sqq.: [2])

Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis aequoris, — en erit umquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium, tibi desinet. Accipe iussis
Carmina coepta tuis atque hanc sine tempora circum
Inter victricis hederam tibi serpere laurus."

Quod Donatus (vit. Verg. X, 37) comprobavit ita „Hunc Pollionem maxime amavit Maro, et dilectus ab e magna munera tulit."

At — pergit Schaper (l. l. p. 647) — cur Vergilius filium ac non patrem ipsum, si tanti eum aestimabat, in deos repo suit? At vitam saepius (p. 19. 26) monui non in caelo sed in ipsa terra cum dis agendam puero promitti, neque ei soli sed et omnibus instantis aetatis aureae hominibus, et patri, cui

---

[1]) cf. Voss. argument. ad eclog. I, II, III, "

[2]) Hos versus iam omnes interpretes · ıdos esse ad Pollionem.

ultro locus praeclarissimus saeculo illo futurus versibus 11—14 destinatur. Praeterea patrem filii incunabulis celebratis ipsum summo honore affici, quis est, qui neget?

Unde vero — interrogat ille (p. 771) — factum est, ut iam primi p. Chr. n. saeculi interpretes, si „Pollio" legissent, de Asinii Galli persona dubitaverint? [1]) Facilius nihil explicari potest. Obcaecati maiestate imperatoris Octaviani Augusti temporis quo carmen scriptum erat ratione neglecta ad eum potissimum eclogam putabant referendam esse, qui saepissime et Vergilii et aliorum carminibus ad deos elatus Pollionem quam maxime gloria superasset. Neque vero perspicitur, qui, si verba „te consule inibit | Orbis" (vel „saecla") genuina fuissent totumque carmen ad Augusti domum spectasset, Pollionis nomen ita paulo post versui 12 inseri potuerit, ut Asinius Gallus ipse Asconio Pediano (cf. p. 30) auctore eclogam IV in suum honorem scriptam esse gloriatus sit.

Miranti deinde Schapero (p. 771), quod primi scriptores Christiani, si „Pollio" legissent, de Christo eclogam interpretati sint O. Ribbeckius (l. l. p. 12) iure respondet: „Cum Pollionis potissimum filium futurum esse expresso verbo nullo prodiderit poeta, quidni ecclesiae scriptores ad opinionem delabi potuerint, Christi natales illo consule futuros secundum Cumaeae Sibyllae oracula in ecloga illa praedictos esse? At confidenter nego, Lactantium, Eusebium, Augustinum, melioribus codicibus usos esse, quam ii fuerint, quibus vel Asconius et Suetonius usi sunt, vel nos etiam nunc utimur. Ergo illi quoque Pollionis nomen v. 12 legisse credendi sunt."

Haerent deinceps Schaper (p. 639) et Pluessius (p. 151) in verbis „tuus iam regnat Apollo" (v. 10), quae de Augusto intellegunt. At illum nesciunt etiam gentis Asiniae, quippe cuius nummorum in altero latere Apollo solaris, in altero Diana lunaris vergiliaeque cernantur, [2]) deum tutelarem fuisse. Ne-

[1]) Quod Schaper haud iure e verbis Asconii Pediani (p. 30 allatis) concludit.

[2]) cf. Vaillant Romanar. Asin. 1. (apud l. l. p. 294).

que — quod Vossius ad v. 10 commemoravit — omittendum est: Pollionem et in pace Brundisina componenda Apollinis ἀλεξικάκου quasi sacerdotem se praestitisse, et „delenda terrarum formidine“ (v. 13) eiusdem dei munere functurum esse. Egregie ergo poeta ipsum Pollionem intuens „tuus iam regnat Apollo“ cecinit. Denique cur Schaper Donato, quamquam ipse eius libellum *„eine kritiklose Compilation aus ältern Commentaren“* appellat (p. 655), tamen eclogas IV, VI, X, ultimas esse affirmanti confidit (p. 771)?

Quid plura? In quo iam Asconius Pedianus (Serv. ad eclog. IV, 11: „Ascon. Ped. a Gallo audisse se refert, hanc eclogam in honorem suum factam“), Suetonius (fragm. p. 290, 28 Roth: „C. Asinius Gallus orator, Pollionis filius, cuius etiam Vergilius meminit“[2]) . . . .), Servius[3]) (ad. eclog. IV, 1: „Salonino cui Vergilius genethliacon dixit“) „Macrobius (sat. III, 7: „cum (Verg.) loqueretur de filio Pollionis . . . . adiecit: „Ipse sed in pratis“ . . . . . (eclog. IV, 43—44) consenserunt, id nos quoque necesse est animo amplectamur: Vergilius pace Brundisina nuntiata ad summam animi hilaritatem elatus furoreque poetico inflammatus iam saeculum de quo Sibylla cecinisset, aetatem auream, instare praedixit, cuius cum laudibus simul incunabula celebravit C. Asinii Galli Salonini.[4])

---

[1]) cf. Appian. V, 64. Dio Cass. XLVIII, 28.

[2]) Nullum enim carmen nisi eclog. IV Suetonius respexisse potest.

[3]) Ceterum plurima quae Servius ad eclog. IV affert, nugae sunt et fabulae.

„Stürmst du hinweg zum Tode, reiss uns auch mit dir fort!
Siehst Heil du in den Waffen, so sei des Hauses Hort!
Das musst zuerst du schützen! — Die Deinen all, den Greis,
Den Sohn und mich, die Gattin, giebst du dem Feinde Preis?“ —

So rief sie, ihre Klage klang durch das ganze Haus,
Da plötzlich uns ein Wunder erfüllt mit bangem Graus:
Sieh, zwischen uns den Aeltern der kleine Julus stand,
Die kindlich flehnden · auf mich gewandt.

Ein leichter Feuerkegel auf seinem Haupt erschien,
Das Licht, vom Scheitel glänzend, umgoss mit Strahlen ihn
Die Flamme sanft beleckte, doch zündend nicht, das Haar,
Das lichte Feuer freundlich umfloss der Schläfe Paar.

Wir eilen, abzuschütteln die Flamme mit der Hand,
Zu löschen mit dem Wasser der Locken heilgen Brand.
Da sternenwärts Anchises lenkt seiner Blicke Lauf,
Und seine Hände streckt er zum Himmel flehend auf.

„O Zeus, du allgewaltger, dringt auf zu dir Gebet,
Und fühlest du Erbarmen, wenn Angst und Jammer fleht:
O blick auf uns nur diesmal! Nach unsrer Frömmigkeit
Lass sehn uns sichre Zeichen, dass du uns giebst Geleit!“

Kaum hatte so gebetet der Greis, da horch, nicht fern
Erschallte links der Donner; vom Himmel fuhr ein Stern
Herab wie eine Fackel mit blendend hellem Schein,
Hin übers Dach des Hauses, auf zum idäischen Hain.

Die Bahn er ziehet langhin, sie strahlt in lichtem Glanz;
Des Hauses Räume füllet Geruch von Schwefel ganz. —
Da ist besiegt Anchises, aufsteht er schnell und gern,
Und ehret fromm die Götter, den gottgesandten Stern.

„Mit euch vereint zu fliehen, ist nun mir Pflicht und Recht! —
Erhaltet meinen Enkel, o Götter, mein Geschlecht!
Wo ihr in Gnaden waltet, da ist auch Troja mir! —
Mich hält mehr kein Bedenken: mein Sohn, ich folge dir!

So sprach er. Lauter prasselt heran der Flamme Wuth,
Und immer näher wälzet den Brand der Hitze Gluth.
„Nun, theurer Vater, setze dich auf den Nacken mir,
Als leichter Bürde biete [illegible] Schultern dir!

Was uns auch treffen möge, welch Loos sei unser Theil:
Wie die Gefahr gemeinsam, so beiden auch das Heil!
Der kleine Julus gehe zur Seit an meiner Hand,
Von fern Krëusa folge, auf uns den Blick gewandt!

Ihr Diener, kommt, vernehmet, was euch mein Mund vertraut:
Dort draussen vor den Mauern da steht, vorzeit gebaut,
Der Ceres Tempel einsam, ihn deckt Cypressenlaub,
Ein Heiligthum der Väter, die lange schon zu Staub.

Dies auf verschiednen Wegen sei unser aller Ziel!
Nimm, Vater, die Penaten, verehrt von dir so viel!
Ich darf sie nicht berühren, befleckt von Kriegesblut,
Bis mich nicht hat gebadet lebendgen Wassers Fluth".

Und mein Gewand umwerfend und meine Löwenhaut,
Lad ich die theure Last auf; und an der Hand mir traut
Julus munter wandelt, ist auch sein Schritt nur klein;
Fern folget nach Krëusa hin durch den schattgen Hain.

Nicht hatte je gescheut ich der Feinde Schwert und Speer
Und nicht der wilden Griechen mich dichtumdrohndes Heer —
Jetzt schreckt mich jedes Lüftchen, jetzt fürcht ich jeden Ton,
In Angst besorgt und bebend für Vater, Gattin, Sohn.

Nun der Gefahr entrissen, bin ich genaht dem Thor:
Da Schall von vielen Tritten traf plötzlich unser Ohr.
Vorschauend rief der Vater: „Sohn, fliehe! Sohn, sie nahn!
Dort meine Augen Schilde und Helme funkeln sahn!"

Da mich, den Halbbethörten, ein Unhold ganz verwirrt,
Und, einen Abweg suchend, bin ich alsbald verirrt.
Krëusa, uns verlierend — vielleicht auch blieb sie stehn —
Ward uns entführt. — Ich habe nie wieder sie gesehn! —

Zurück ich noch nicht schaute, sah mich nach ihr nicht um,
Bis wir erreicht den Hügel, der Ceres Heiligthum;
Doch als wir nun versammelt, da fehlte sie allein —
Vergebens lange harrten wir all in Angst und Pein.

In Schmerz verloren, klagte ich Menschen, Götter an:
Was hatt in Trojas Brande wie dies mir wehgethan? —
Die teukrischen Penaten, den Vater und den Sohn
Empfehl ich den Gefährten und steh in Waffen schon.

Fest steht mirs in der Seele: durchspähend nimmermatt,
Trotz aller Feinde Toben zu wandern durch die Stadt;
Mich treibts, die überstandnen Gefahren zu erneun
Und alle Wechselfälle, die mit dem Tod mir dräun.

Ich eile zu den Mauern, zurück zum dunklen Thor,
Aus dem ich, froh mich rettend, gekommen kaum hervor,
Um wohlgemerkte Spuren genau mir zu beschaun. —
Rings selbst die nächtge Stille erfüllt das Herz mit Graun.—

Ich geh zum Hause, ob sie dahin gewandt den Lauf —
Ach, da sind eingebrochen die Danaer zuhauf,
Und die gefrässge Flamme schlägt aus dem Dach hervor,
Rings tobt der Brand, die Lohe wallt in die Luft empor.

Und vorwärts schreit ich, sehe des Priamus Palast,
Da Phönix und Ulysses, den Troern allverhasst:
In öden Säulenhallen, in Junos Tempelhaus
Bewachen sie die Beute aus der Zerstörung Graus.

Hier häuft man Trojas Schätze, aus Tempeln frech entwandt,
Der Götter heilge Tische und festliches Gewand
Und hohe Mischgefässe, von Gold, gediegen, fein.
Rings stehn der blei[illegible], der Knaben lange Reihn.

Im Dunkel selbst erheb ich der Stimme lauten Klang;
„Krëusa!“ ruf ich wieder und immer wieder bang:
Da plötzlich tritt entgegen mir schattenhaft, doch mild,
Bekannt, und doch viel grösser, ihr kummerbleiches Bild.

Das Haar mir stand zu Berge, die Stimm erstarb im Mund,
Da gab, mir Sorgen nehmend, sie diese Worte kund:
„Warum so unbedachtsam, o trautester Gemahl,
Gehst nach du deinem Schmerze und deiner Liebe Qual?

Auch unsre Leiden kommen uns aus der Götter Hand!
Nicht darf ich dich begleiten hinaus in fremdes Land.
Lang wirst im weiten Meere du irren heimathlos,
Bis endlich freundlich öffnet sich dir Hesperiens Schooss.

Dort sendet Thybris Wellen durch reichbewohntes Land,
Sich sanft ergiessend; üppig erblüht der Ufer Rand.
Dort wirst du wieder finden Gemahlin, Reich und Glück. —
Der Liebe Zähren halte, Geliebtester, zurück!

Der Göttin Schwiegertochter wird Griechenland nicht sehn,
Dein Weib wird nicht als Sklavin zu griechschen Müttern gehn. —
Der Götter hohe Mutter hält hier mich holdgesinnt. —
Leb wohl! und Lieb und Treue bewahre unsrem Kind!“ —

Viel will ich weinend sagen, da ich so nah ihr bin;
Sie weicht zurück, verschwebend in leichte Lüfte hin;
Und dreimal will umfassen ich sie im Abschiedsharm,
Und dreimal mir zerfliesset das Nebelbild im Arm. —

Zu den Gefährten kehrt ich beim frühsten Morgengraun,
Neuangekommen waren da Männer viel und Fraun;
Vereint mit armem Volke ich frische Jugend fand,
Bereit sie alle waren, zu ziehn ins fernste Land.

Der Morgenstern jetzt führte hoch ob dem dunklen Hain
Des quellenreichen Ida herauf des Tages Schein. —
Dahin war alle Hoffnung — besetzt war jedes Thor. —
Den Vater auf den Schultern, stieg ich zum Berg empor.

4327
3 –

DE MORUM IN VIRGILII AENEIDE HABITU.

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE FRIDERICIA
WILHELMIA RHENANA PHILOSOPHORUM
ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

I. H. LAURENTIUS LERSCH
AQUISGRANENSIS.

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGII.
MDCCCXXXVI.

negligant atque ignorent. Idem p. 112. not. 317. Virgilio vindicat magnam illam et in historia et in antiquitatum omni genere eruditionem, a scholiastis summo iure toties laudatam. Quae eadem Niebuhrius varietate et exemplis quibusdam firmata olim in scholis quoque, quas de antiquitatibus Romanis habuit, saepenumero protulit. Quibus verbis menti meae iam tum alte impressis Virgilii Aeneidi operam dare maiorem apud animum meum statueram: et si quod in hoc studio novum profero, dicto illius impellebar viri, cuius memoriam omnes excipient anni consequentes; si forte in his explicandis et interpretandis rectius quid senserim prioribus, viris debeo ceteris praeclarissimis et in hac inprimis nostra et in Berolinensi literarum sede a me frequentatis, quos etiamnum florere suavique gaudere luce deo optimo gratias habeo maximas.

Quotquot adhuc in explicanda Aeneide elaboraverunt, eorum duo praecipue extant genera, quorum alterum Virgilium mores heroicae aetatis constanter et ubique servasse statuit, alterum vero, eum nonnunquam in his describendis errasse, contendit. Priorem sententiam amplectuntur quum plures medii aevi interpretes, tum Tittmannus, qui libellum De Virgilio Homerum imitante Vitebergae. edidit. Qui p. XI. in Aeneide salvum et integrum heroicorum temporum ingenium, omnium heroum mores, sententias et facta heroicae aetati consentanea praedicat. Posteriori vero quum priores tum plurimi recentiorum adhaerent. Audias Gerardum Ioannem Vossium Institut. Poetic. I. c. 3. De poetarum erroribus. Qui §. 5. haec declamat: »Quid quod nec huiusmodi culpas effugere valuit Maronis maiestas? Apud quem

Aeneas in narratione sui itineris recenset Megara, Gela, Acragantem, Selinuntem. Quomodo non scripsisset Maro, si scisset, vel in mentem ei venisset, ea oppida esse condita multo post tempora Troiana.« Idem §. 6. de aeratis navium puppibus, de triremibus, de pictura apud Maronem anxie quaerendo, quid de morum habitu sentiat, clare ostendit. Eandem Heynii fuisse mentem, quum omnis eius explicandi ratio, tum hi et alii testantur loci: ad Aen. V, 745: »Quod poeta thuris usum heroicis temporibus tribuit, in eo suis magis temporibus quam rei veritati obtemperat. Iliacis temporibus, notum est ex Plinio, nec thure supplicabatur.« Ex his verbis manifesta apparet Heynii sententia, Virgilium, quod universum heroicorum temporum attineat habitum, veritati obtemperasse, in singulis a vero decessisse. Cf. eiusd. notam ad IX, 505. Eandem mentem prodit Tychsenus (Comment. de Quinto Smyrnaeo p. XLIV. sq.) de Q. Smyrnaeo haec dicens: »Mores heroicae aetatis plerumque fideliter servavit, *lapsus* tamen in hoc« cet. »Haec tamen *cum Virgilio* habet communia.« Wagnerus, qui nuperrime Heynii denuo curavit editionem, tom. IV, postquam p. 387—587.

grammaticus potissimum sumpsit magna eum diligentia quaestiunculas, p. 588. hanc addit quaestionem: »Virgilius heroicis quaedam temporibus tribuens, quae posterioris fuerunt aetatis.« Quam paucis his absolvi verbis putat: »Non raro Virgilius in Aeneide ea tribuit heroicis temporibus, quae ab iis aliena posterius inventa aut instituta sunt; omninoque sermonem Romanum saepe accommodavit personis ab illo vel maxime abhorrentibus. Multa ex his superiores interpretes Heynius maxime notaverunt; adieci quaedam alia. Sed qui Aeneidem vel cursim legerit, facile haec augeri posse intelliget. Exempta tamen inde velim ea, quorum originem poeta refert ad ipsa Aeneae tempora.« XVII deinde exemplis allatis haec dimittitur quaestio.

Prior quidem Aeneidem explicandi ratio iam pridem explosa et ex interpretum libris iure meritoque est ejecta, ac sine dubio posterior erit pro meliore habenda. Attamen tertia, quae esse possit, restat, illam dico, qua quis statuat, Virgilium per Aeneidem non tantum in quibusdam, sed in omnibus a vero heroicorum temporum habitu recessisse, et posteriorem, id est, Romanam harum rerum rationem

observasse. Sed hanc opinionem quum nemo adhuc disertis protulerit verbis, hoc quidem temporis puncto missam faciamus, atque ad alteram illam virorum doctissimorum sententiam revertamur.

Quam si animo percurro ac volvo, multa, quae eius auctoritatem labefactare videantur, in mentem mihi veniunt. Primo quidem non assuetus in verba iurare magistri, magnopere dubito, an Virgilius sagacissimus literarum Graecarum investigator ac perscrutator errare labique potuerit in rebus illis, quae quidem hodie pueris fere innotuerunt. Deinde neminem fugit, permultà primo quidem aspectu Graecorum illa esse videri, sed Graecis et Romanis esse communia, et plerumque a Graeca vel religione vel vita publica privataque ad Romanos esse deducta, ita ut Virgilius ea nequaquam e Graeco, sed, ut rei natura fert, e Romano hauserit fonte. Unus enim quisque, qui paullo acrius mentis intendit aciem, videbit statim, poetae, quum instituta tangat, quae et popularibus et peregrinis communia sunt, minime ad externam gentem esse recurrendum, sed patriam necessario consuetudinem suo inhaerere animo. Nonne igitur Virgilium quoque talia, quae

permulta in ipsius Aeneide occurrunt, e Romanorum moribus hausisse coniiciendum erit? Denique Aeneidem in diversissimis terrarum regionibus populisque versari videmus. Quum autem non coniectura, sed oculis manibusque teneamus, a poeta nostro et Graecis et Troianis et Carthaginiensibus eosdem tribui mores, nonne eam animo concipiamus oportet sententiam, eum non id curasse atque egisse, ut verum illarum gentium habitum sequeretur? Quem si in his neglexerit, quid est, quod eum impedierit, quominus Romanarum potius rerum statum, quam Graecarum in illa omnino transtulerit tempora et loca? Quum denique hoc carmen scriptum esset Romanis, nonne necessarium videtur, non debuisse illud trahi in diversos mores et diversa instituta, sed in uno saltem populo, Troiano scilicet, unum et integrum requiri habitum et statum? Quum vero Troiani in omni vitae genere non discrepent a ceteris, qui se offerunt, populis, nonne in omnibus requirendus esse videtur idem et constans morum habitus et color? Quales enim nos sumus, qui risum non teneamus, si poeta aliquis una eademque sententia et Iudaicos et Christianos complectatur ritus, iidem

Romani sunt existimandi, quos procul dubio talis Graecorum et Romanorum morum commixtio et confusio inepta et insulsa debebat offendere. Quod vero viri docti statuerunt, illam Graecorum et Romanorum morum copulationem in comoedia palliata vim habere comicam *), idem sane de Aeneide, si ipsi se audiunt, est statuendum. Quare in eandem repellimur quaestionem, annon Virgilius Romanorum mores et instituta ubique sequutus esse sit existimandus.

Quae quum animo huc illuc volverem, ad poetarum in his morem respiciendum esse mihi videbatur. Qui vero poeta, epicus praesertim, suae ipsius genti placere, et in posterorum memoria ac recordatione manere studet, eum summa ope niti decet, ut gentis suae mores animosque quam accuratissime

*) Donat. ad Terent. Eunuch. II, 2, 26: „*Coqui, fartores* Comicum: nam in palliata Romanas res loquuntur.“ Cf. ad Phorm. I, 1, 12: „*Initiari* more Atheniensium, quod ut in palliata probandum est magis.“ ad I, 2, 75. sq. „Lex ut in palliata recte ponitur: nam Graecorum fuit.“ et postea: „Atticum ius est.“ De Plauto idem fere scribit Baehrius in libro, cui titulus: Geschi[illegible] [illegible] Literatur, II, c. 3. §. 4[illegible]

ornatissimeque carminibus suis infigat et intexat. Quod qui negligit, nunquam in favorem et gratiam populariuni suorum potest recipi, sed ut abhorrens a communi omnium cogitandi sentiendique ratione reiiciatur oportet, ita ut ipse, quamvis magno excellat ingenio, ne doctioribus quidem omnibus innotescat, sed mox in oblivionem cadat sempiternam *). At ille, qui antiquissima tempora apte et ornate in novissimam mutat aetatem, illud assequetur, ut omnes personae earumque actiones quasi de vita depictae tangant animum audientis legentisve, atque ita non solum nos ea, quae narrantur, suavissime afficiant, verum etiam, quae palam clamve praecipiuntur, gravissime moveant.

Quid dicam de illis, qui non ex intimo animi affectu ac natura carmina fuderint, verum illa finxerint imitando, componendo et elaborando? Qui si nihil aliud, quam

*) Quotus enim quisque est, qui Goethii carmen, quod inscribitur: Westöstlicher Divan, Plateni, Hammeri, Rückertii carmina orientalia manibus terat? Attamen nos ii semper eramus, qui, quae ab aliis accepissemus, quam citissime ac facillime in succum verteremus et sanguinem.

facta populi iamdudum aboliti mores et instituta temporis iamdudum praeteriti tractabant, sufficiebat, ipsos, quae imitati sunt carmina, in vernaculam vertere linguam. Quum vero antiquas illas fabulas de rebus magnis et praeclare gestis in lucem denuo proferrent, officium eorum erat, ut istas popularium suorum accomodarent sensui *). Quod si feliciter peregere, non solum delectarunt atque ad magna perficienda incitaverunt aequales, verum nobis suae aetatis et populi sui imagines formasque reliquerunt pulcherrimas, quales rerum gestarum scriptores perraro nobis ob oculos ponere possent.

Quaenam igitur caussa est, qua Virgilium, qui per tot saecula abest a vita heroica, — quam Romani non plane quidem ignoraverunt, sed ab ea quum omnis eorum cogitandi et sentiendi ratio, tum permulta instituta et publica et privata abhorruerunt

*) Germanorum ii, qui versiones olim scriptorum veterum elaboraverunt, populorum antiquorum mores in suorum popularium instituta mutare solebant. Sic factum est etiam in Virgilii quadam versione, quae inscribitur: „Vergilii Maronis dreyzehen Eneadische Bücher von Troianischer zerstörung, Und auffgange des Römischen Reichs . . . Strassburg 1559."

— huius aetatis singula ac propria retinuisse, at ea, quae cum omni sua cogitandi, sentiendi agendique ratione quasi in unum coaluerant, repulisse et reiecisse statuamus? Notissimum est autem, Homerum ipsum suae aetatis mores illis temporibus tribuisse, in quibus, quos canit, heroes magna illa et praeclara perficiunt gesta. Homeri quidem erat nequaquam, ut omnia ad suum revocaret tempus: multa enim ex illis adhuc annis inter Graecos remanserant; multa quum homines suae aetatis gentisque tum ipse praecipue noverat acceperatque a maioribus, ita ut per ipsum et vita heroica et sua ipsius aetas sit delineata ac suavissima narratione descripta *). Neque Homerus unus ac solus fuit, qui veritatem ita violaret: magnum quoque illud ingenium, e quo Nibelungorum prodiit carmen, eandem sibi dedit licentiam, eandemque sibi omnes fere omnium temporum gentiumque poetae iure meritoque permiserunt **). Quapropter nobis eadem, quae supra, de Virgilio exoritur quaestio.

---

*) Cf. Wilh. Müller, Homerische Vorschule. I, c 3.

**) Hoc de Aeschylo nuperrime vidit O. F. Gruppius in libro, qui inscribitur Ariadne, c. II, p. 111.

Si quis vero hanc quaestionem propterea reiiciendam esse putet, quod Virgilius e Graecis poetis maximeque ex Homero, cuius, ut Manilius (Astron. II, 8. sq.) dicit,

ex ore profusos
Omnis posteritas latices in carmina duxit,
Amnemque in tenues ausa est diducere rivos,
Unius fecunda bonis,

ex hoc permulta derivaverit, haec habeo, quae contra moneam. Negari quidem nequit, Virgilium a Graecis poetis multa accepisse, quae elaboraverit: attamen tantum abest, ut servus fuerit Homeri aliorumque imitator, ut ea, quae Latino ore e Graecis delibavit, quasi Romano animo perfuderit, et saepenumero ratione quadam Romanorum morum habita ornaverit et decoraverit *).

*) Hoc idem sensisse videtur Buttmannus Lexileg. I. p. 100: „Von Homer sich befruchtet fühlend, war Virgil gewiss, ein seinen Landsleuten gefallendes Gedicht zu geben, wenn es ihm auch hie und da begegnet seyn sollte, einen homerischen Vers anders verstanden zu haben, als er wirklich gemeint war.“ In promtu mihi sunt hi loci Aeneidis I, 724. II, 133. (ubi cf. Cerda.) XI, 478. Adde Auli Gellii dictum hoc in Noct. Attic. XIII, 26: „Esse enim videtur Homeri (versus) simplicior

Hoc enim inprimis est tenendum, Virgilium in illis locis, qui imitationem Homeri aut alius poetae produnt, fingendis nequaquam in ipso componendi momento horum poetarum verba singula in animo aut ante oculos habuisse, neque ea anxie in Latinam linguam vertisse; sed ille totus imbutus literis Graecis, quae legerat, in succum et sanguinem verterat omnia; commixta illa habuit atque unita suis cogitationibus et poeticis affectibus, eaque tanquam de integro nata moribusque Romanis amplificata versibus edidit Romanis.

Deinde qui imitationem Homeri aliorumque poetarum Virgilianam culpandam eamque ex ingenii inopia, aut ex hac imitatione caerimonias quoque et instituta deducenda existimet, magno mihi iste obstrictus videtur errore. Illa enim aetas non e nostra ratione sensuque nostro est iudicanda. Neque enim turpe, sed pulcrum videbatur Romanis, magnos illos vates aemulari; neque illud vitio cuiquam dari solebat, ea imitari, quae pro-

et sincerior: Virgilii autem νεοτερικώτερος, et quodam quasi ferrumine immisso fucatior."

baret *). Quapropter non celare cupiebant, quae transtulerant, sed manifestum illud prae se ferebant studium. Cf., quem Heynius affert, Senecae Suasor. III., qui Virgilium non surripiendi caussa, sed palam imitandi, hoc animo, ut vellet agnosci, in multis versibus alios expressisse affirmat. Quae vero in Homeri carminibus mirabantur Romani, non erant illa sacrorum rerumque civilium instituta, non illi ritus, neque caerimoniae, — his enim meliora auctioraque existimabant sua **), — sed modus colorque narrationis, praecipue vero virorum clarorum mores animique ***). Quapropter siquidem innumera etiam ex Homero a Marone depromta, immo ad verbum translata statueremus, neque illud efficitur, Virgilium hoc fecisse ingenii sterilitate coactum, neque illud, mores et ritus sacros profanosque ad Graecos, inprimis ad Homerum, ab ipso in Aeneide esse descriptos. Quin

*) Macrob. Saturnal. VI, 1.: „Quodsi haec societas et rerum communio poetis scriptoribusque omnibus inter se exercenda concessa est, quis fraudi Vergilio vortat, si ad excolendum se quaedam ab antiquioribus mutuatus sit? Cui etiam gratia habenda est, cet.“

**) Cf. Cic. Tusc. I, 1.

***) Cf. Horat. Epist. I, 2, v. 3.

etiam, si respicias malam, corruptam perfidamque, quam Graecis tribuit poeta noster, indolem: incredibile tibi fere videatur, eum huius populi instituta ad Troianos, Romanorum patres, quos omnis virtutis gloria cumularet, deduxisse.

His igitur non minuitur magna vis magnumque momentum, quod in illa vel quaestione vel sententia, cui iam favemus, positum existimavimus. Quin ne quis nobis Shakespearii exemplum, qui miro modo aetates confudit, obiiciat: altius nobis inquirendum esse videtur *de fine et indole Aeneidis*, ut ex his maior lux oriatur menti, atque ea, quae veri tantum similia sunt, firmiora evadant et clariora.

Nemo vir doctus de eo, quantum scio, dubitat, quin Romani ii sint, quorum omnis animi intentio ad illud magis fuerit directa, quod Graeci τὸ πρακτικὸν, quam ad illud, quod τὸ θεωρητικὸν vocant. Ex hac quidem eorum natura evenit, ut res domesticas probe et laute tuerentur, rem publicam bonis temperarent institutis et legibus, in literis vero,

maximaque in philosophia parum excellerent. Quum vero, quae antea iacuissent, litterae in honorem ipsis essent receptae, hae quoque praecipue ad vitae usum conformabantur. Philosophiae inprimis eae partes excolebantur, quae ad mores et ad ius pertinent, artium vero architectura, poesis ea genera, quae ad mentem hilarandam animumque formandum conferunt. Quapropter comoedia a Graecis desumta illis non placuisse videtur, nisi temporibus esset aptata et moribus variis conspersa. Pulcrum enim non sui ipsius gratia amasse et coluisse existimo Romanos, quemadmodum Graeci amabant et colebant, sed commodo aliquo ad rem privatam aut publicam pertinente, ut verbo dicam, utilitate artium temperasse modum.

Quibus de caussis effici cogique potest, Romanos difficultate haud parva fuisse obstrictos, quum tota mente prisca alius populi tempora repeterent ita, ut a suis plane recederent, ad illius populi aetatisque ingenio quasi imbuti atque induti idem quod ille sentirent et cogitarent. E qua iam illorum omnium fere indole, quae disciplina et publica et privata vel efficiebatur vel augebatur, Maroni quoque quam maxime arduum fuisse

dico hoc, si quidem secutus esset, studium, se in eam sentiendi et agendi rationem penitus mutandi, quae priscae illius aetatis erat propria et insignis. Quod is quidem solus negabit, qui Virgilium unum ex omnibus tali fuisse ingenio praedicet, ut illam naturae vitaeque publicae et privatae vim superaverit, et primus Romana omnia linquens cum illa Troiana aetate in fingenda Aeneide quasi in unum ipse coaluerit. Verumtamen hoc nemo serio proferet, qui ea noverit, quae de Virgilio narrantur, accuratiusque ut cetera eius carmina ita Aeneidem inspexerit et comparaverit.

Poetam porro nostrum, nemo erit, qui neget, non intimo animi affectu ac divino, quem dicunt, furore incitatum atque inflammatum carmen suum cecinisse, sed eo consilio et fine composuisse, ut et Augusti voluntati optatoque obediret, et Romanas literas epico carmine augeret atque ornaret. Quibus autem modis Virgilius hoc poterat assequi? Quod Klopstockius noster, quum illud animo conceperat consilium, ut Germanos epico donaret carmine, initio maximum fore ratus, scilicet ut gentis nostrae magnitudinem carmine revera patrio celebraret: idem Virgilium

de populo Romano sensisse notum est ad unum omnibus. Hunc enim laudibus efferre et gloria dignissimum et maximum sibi carminis esse argumentum probe cognovit. Quum vero Homerum tanquam maximum in carmine epico exemplar sibi proposuisset iure meritoque, ac simul Iliadem Odysseamque vellet complecti, Romanis autem deesset copia illa fabularum a maioribus traditarum, qua Graecorum excelluit natio: illud hoc instituit modo, ut e Graecis quidem peteret Troiae excidium et Aeneae personam, quae cum historia Italorum fabulari ita conglutinavit, in maius auxit atque exornavit, ut ex eius fatis Romanae gentis deduceret originem. Quod non ipse finxit altro, sed e trita ac vulgari Romanorum tenuit opinione. Quem Aeneam quum per multos errores in Italiam duceret, perque bella gravia Romanae gentis auctorem conderet, cura singulari miraque diligentia Romanam gentem non solum locis plurimis maximam praedicat, non solum aperte libris VI. et VIII. rerum ab ipsa gestarum et memoriae veteris ordinem persequitur, verum etiam iis, quae narrat, singula subiicit facta, prodigia ipsa Romae nuntiata non oblitus, genti Romanae unicuique probatissimae, viro cuique

laudatissimo, iis vero praesertim, qui cum ipso vitam degerunt, Augusto ante omnes, locum et laudem in suo concedit carmine non perituro. Deinde Romanorum et domestica et militaria, civilia et religiosa instituta carmini suo intexit, et saepissime una quadam voce morem Romanorum vel sanctum vel profanum in memoriam legentium revocat. Quod ita instituit, ut vocibus quam maxime propriis et solemnibus utatur. Quae de historia diximus Romana, quam Virgilius in Aeneide tractaverit, fulciuntur et firmantur iis, quae Servius habet ad Aen. IV, 752. Postquam enim monuit, Virgilium omnem Romanam historiam confuso ordine ab Aeneae adventu ad sua usque tempora celebrasse, haec addit verba notatu dignissima: »Unde etiam in antiquis invenimus, opus hoc appellatum esse non Aeneidem, sed *gesta populi Romani*.« Quod nomen ipse quidem propterea mutatum dicit, »quia nomen non a parte, sed a toto debet dari.« Sed haec e sua tantum opinione dicta vim illius nominis non minuunt. Immo vestigium aliud, Aeneidem a Romanis tanquam suam ipsorum historiam esse consideratam, e noto pernicio epigrammate Sulpicii illius Carthaginiensis, quod

in Virgilii vita, Donati nomine inscripta, extat:

Iusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quae cecinere ducem.
Tucca vetat, Variusque simul; tu, maxime Caesar,
Non sinis, et Latiae consulis historiae.
Infelix gemina cecidit prope Pergamos igni,
Et paene est alio Troia cremata rogo.

Si enim Romanae historiae conservationem maximum habuit emolumentum Aeneidis conservatae, necessario sequitur, eum in illa describenda Aeneidis summam positam existimasse. Manilius quoque, Virgilii aequalis, (ut facile ex eius Astronomicis demonstrari potest) Astron. III, 23. sq., ubi manifesto Virgilium spectat, Romanos carmine a se celebrari, his recusat verbis:

— — — *Romanae gentis origo,*
Totque duces urbis, tot bella atque otia, et omnis
In populi unius leges ut cesserit orbis,
Differtur; facile est ventis dare vela secundis.

Ipsum autem Virgilium id in animo habuisse, et ex carminis exordio (Aen. I, 6. et 33.) et e libro XII, 166., ubi Aeneam *Romanae stirpis*

originem, Ascanium *magnae spem Romae alterum* appellat, novimus.

Dixerit aliquis non sine quadam veri similitudine, iniuria a me Aeneidem haberi rerum a Romanis gestarum laudationem, quippe quum omnia fere illa dicta nonnisi ad Romae *originem* spectent. Contra quae haec moneo. Romae quidem origo sola non habuit apud ipsos Romanos tantam gloriam tantumque honorem, ut haec una tot carminis apparatus necessarios redderet. Quid, quaeso, fuissent initia illa urbis aeternae maximo etiam verborum ornatu descripta, nisi adderentur magna illa praeclaraque gesta, quae Romam ad illud laudis et gloriae fastigium, sunt evecta, et eius origini tantam comparaverunt auctoritatem? Gavisi sane essent Romani haec primordia audientes, sed si haec sola accepissent, illam famae celebritatem, quam postea tribuerunt, Aeneidi sine dubio nequaquam addidissent. Attamen vereor, ne haec etiam origo ipsa carmini nostro desit. Romulus enim Remusque nonnisi sexies *per vaticinium* memorantur. Non secus autem etiam ceteri illi viri magni et alti laudantur. At iis laudibus certe non solum ipsi, qui laudantur, sed etiam populi

Romani nomen ornatur. Quibus ex caussis efficitur, et primordia et gesta populi Romani eodem pondere esse examinata, neque haec illis esse inferiora. Unde nomen illud *gesta populi Romani* non solum non incongruens, sed aptum et accommodatum Aeneidi est quam maxime, si hanc non e nostro, sed e Romanorum sensu consideramus. Ciceronem, qui Archiam poetam omne ingenium ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam contulisse dicit (pro Arch. c. 9.), — at Archias nonnisi Cimbricas res adolescens attigit, deinde vero Mithridaticum modo bellum totum expressit, — Ciceronem, qui uno cive Romano laudato honorem populi Romani rebus adiungi putat (ibid.): quid, quaeso, de Virgilio eum dicturum fuisse existimamus, si huius legisset Aeneidem? Num aliud fortasse nomen, quam illud a Servio traditum, eum huic carmini daturum fuisse arbitremur? Unde nomen illud cum vera Aeneidis ratione cumque omni Romanorum animo consentire ac conspirare videmus luce clarius.

Nec vero is sum, qui Virgilium Historicum fuisse putem, verum ipsum ut poetam contra unumquemque vindicabo, qui de vero poetico ingenio et studio Maronis forte dubitet.

Quamvis enim rationem, qua commotus Aeneidem est aggressus, historicam non possim, quin nominem: attamen probe scio, poetam fere unumquemque, qui in maiore aliquo opere elaborare coeperit, Musa raptum deferri ad alia quoque, quae ab initio nequaquam versabantur in ipsius animo, et haec eadem saepenumero in maius augeri, quam illa, de quibus exordium duxerit. Ita Aeneas non solum ut Romanae gentis conditor in Italiam a Marone deducitur, verum etiam multis fatis rebusque gestis delineandus ipsi est visus tanquam summum herois exemplar, in quo et corporis et animi excelsi invictique magnitudo ac robur essent coniuncta cum pietate erga Deos et homines maxima. Cf. Aen. I, 544 sq.:

Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior et armis.

Troianos autem quum auctores describeret Romanae gentis, iisdem ut tribueret Romanos mores, maxime iam hoc consanguineitatis vinculo oportebat commoveri, quippe quum hi ambo populi revera unum tantum eundemque efficerent *). Inde factum est, ut

*) I. Pontanus, qui edidit Symbolarum libr. XVII ad

ipstituta Romana poeta a Troianis Latinisve reddiderit oriunda. Exempla pauca haec affero: III, 408. praeceptum Heleni de capite in sacrificiis velando:

Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto;
Hac casti maneant in religione nepotes.

V, 596—603. ludum Troiam:

Hunc morem, hos cursus atque haec certamina primus
Ascanius — — agmen.

VII, 601. sqq. Iani templum:

Mos erat Hesperio in Latio cet.

Talia quidem, fieri potuisset, ut illis iam temporibus extarent; attamen omnis deest veri similitudo, rem ita se habere. Aliae vero insunt in Aeneide eaeque permultae et notiones et res, quae procul dubio posterioris tantum aetatis Romanique solummodo populi sunt

---

Vergilium Colon. Ang. Vind. 1599, scribit in prodidagmat. p. 7: „Ergo uno omnium consensu Maro populum Romanum gentium victorem ac dominum a nobilissima et vetustissima origine, moribus, rebus gestis celebrare propositum habuit. Romani namque sunt Aeneadae."

propriae; de his singulis postea disputabo. Hoc vero loco nonnisi in universum ratiocinor et disseno.

Quid autem amplius erit dubitandum de eo, quod Virgilius Romanis moribus carmen suum ornet integrum, quum ipse nobis poeta indicet unoquoque fere libro? Nemo, quantum equidem scio, animum adhuc advertit ad formulas quasdam centies occurrentes, has dico: *more parentum* (VI, 223.), *more patrum* (XI, 186.), *ex more* (V, 244., VIII, 186.), *de more* (I, 318., III, 65. 369., IV, 57., V, 96. VI, 39., VIII, 544., X, 832.), *de more vetusto* (XI, 142.), *in morem* (V, 556., VIII, 282., XI, 35.), *rite* (III, 546., IV, 638., V, 77., VII, 5. 93., VIII, 60. 69., XII, 213.), *ordine* (III, 548.) cet. Tria autem solummodo his indicari possunt vocabulis, ita ut, si horum unum est, quod significetur, alterum esse nequeat. Virgilius enim aut morem Troianorum indicat, qui abhorret a Romanorum religione ritibusque, aut Graecorum, aut vero ipsorum Romanorum. Nemo autem erat et eorum, qui literis non ita culti erant et politi, quin sciret, hanc aetatem a memoria et scientia accurata nimis esse remotam. Prius igitur si Maro fecisset, atque aliena et falsa in partem carminis sui

vocasset: dulcem illam fraudem, qua poeta ea, quae ipse fingit, tanquam revera facta legentibus profert, crudeliter extinxisset. Neque ad Graecorum instituta possunt illa referri. Quae enim si Romae erant recepta, poeta non externa ista, sed, quae ante oculos habuit, patria respiciebat. Sin aliter, aut non noverant Romani, aut digna non habuerant, quae reciperent. Quum autem quis ex more aliquid fieri dicit, opus est, ut hic mos notus sit legenti unicuique. Alias enim oratio caret illa claritate ac luce, qua epici inprimis poetae carmen necessaria sit ornatum oportet. Quae autem Romani non receperant, Virgilio quoque indigniora erant, quam quae carmini intexeret. Tertium igitur illud solummodo restat, legentibus in memoriam revocari instituta patria.

In quae quum ut innumeris in his praecipue incurrerent locis, legentes non amplius antiae veritatem temporis persequabantur, sed eorum statim animi voluptate illa afficiebantur, qua quisque delinitur, qui patrios invenit mores narrationi vel carmini intextos, qua nos suavissime afficimur, quum Vossii Ludovicam vel Goethii Herrmannum et Dorotheam legimus. Sic Romani, qui non solum

animi quadam elatione originem a Troianis ducerent, verum etiam patria omnia amore quam maximo amplecterentur, admirati sunt et gavisi, privatam et publicam vitam a Troianis inde temporibus ad sua usque tempora integram et inviolatam esse servatam, et quum plura audirent, quae quidem antea in ipsorum valuerant republica, deinde vero abolita nondum effugerant e memoria, ea libentissime ad maiores Troianos aut Latinos reduxere suos, et Virgilio suo ut viro de illis seculis eruditissimo consisi, ea, quae poeta finxit, tanquam deiloracula amplectebantur ac tenebant.

Illud autem, quod primo quidem e variis conlegimus indiciis, deinde ut carmini epico ita omni Aeneidis constructioni ac fini consentaneum invenimus: idem confirmatum apparet comparatione cum reliquis Maronis carminibus instituta. Georgica nonnisi Romanis Italicisve moribus institutisque posse contineri, primo quidem aspectu lectori attento certum stat ac fixum. Quomodo enim poeta popularibus suis agriculturae dare disciplinam, quomodo, quaeso, ipsis carmen suum utile reddere potuit, nisi praecepta sua ipsorum vivendi agendique rationi conformavit? Idem de Eclogis dicendum est,

quippe quae ad poetae referendae sint familiares ac necessarios *). Haec autem carmina non solum in universum unius poetae produnt ingenium, verum etiam quemadmodum Aeneis saepissime locis ex his petendis est explicanda, ita ipsis quoque lucem affert Aeneis. Innumera, quae ad vitam antiquorum pertinent Romanorum aut Italorum, carminibus his tribus sunt communia, ita ut manifestum fiat, poetam in omnibus, quae panxerit poëmata, uno eodemque studio fuisse detentum, atque unum unius populi morem expressisse. Sic eundem invenies ritum, quod attinet ad sacra, Georg. III, 490. et Aen. VI, 248., Georg. II, 194. et Aen. VIII, 284., XII. 215., ad inferias Eclog. VI, 67. et Aen. III, 66. V, 77., ad artem magicam Georg. III, 280. sqq. et Aen. IV, 515. sq., eandemque precandi formulam Georg. I, 18. et Aen. I, 734. IV, 578. et saepius. Omina, quae occurrunt I, 475. sqq., poterunt conferri cum Aen. IV, 455. Eundem porro morem

*) In ipsis illis rebus, quae in Graecia agi putanda sunt, ad Graecos transtulit Virgilius, quae Romani fuerunt moris. Cf. Eclog. VIII, 30., X, 65., de quibus iam bene disputavit Wagner. quaest. XLI. in Virg. opp. vol. IV. p. 594.

audis nautarum Georg. I, 304. et Aen. IV, 418., eundem pistorum modum Georg. I, 267. et Aen. I, 179. (Cf. Serv. ad Eclog. VIII, 82.), pastorumque Eclog. II, 49. sq. et Aen. VII, 488. Unum idemque textrix quoque observat et Georg. I, 294. et Aen. VII, 14. Quod ad venatum attinet, poteris comparare Georg. III, 412. sq. cum Aen. I, 324. Nec non eundem invenies in conviviis morem Georg. IV, 377. et Aen. I, 702., quibus addas de re militari Georg. II, 539. et Aen. VII, 637.

Illud forsitan quaerendum sit, num Romanorum morum rituumque aetatem certam et stabilem secutus sit Maro. Non placet. Omnia enim probant, Virgilium, utut ipsi commodum esset, iam recentioribus, iam antiquioribus indulsisse. Quanquam enim prisca maxime est sectatus, attamen ea, quae tunc etiam in Romanorum oculis manibusque fuere, minime est aspernatus, quippe quae carmine suo tanquam antiquis illis temporibus sive orta, sive usitata iam faceret. Qua ratione his quoque ritibus caerimoniisque dignitatem addidit et honorem. Quae vero a maioribus acceperat, quaeque ex usu quotidiano evanuisse iam audierat videratque, ea quidem optimo iure carmini potuit inserere. Quum

enim Romani ipsi horum plurima ad Troianam illam referrent aetatem, Troianis illis temporibus orta esse dicerent, vulgarem de his ipsorum opinionem tenuit ac servavit. Deinde quum illud quidem quam maxime esset necessarium, ut carmini priscae aetatis colorem daret et habitum: non pauca inerat dignitas et antiquitas in illis, quae a populo Romano vix pubescente est mutuatus, quaeque a gente Sabina, Etrusca, aliis ad ipsum multo antea defluxerant. Ex hoc sane studio manarunt etiam, quod quasi praetebieris moneo, verba illa vetustiore modo ficta et flexa, quae carmini illam afferunt pulcritudinem, quam arcis cuiusdam antiquae rudera regioni addunt amoenae et vere florenti. Qualia sunt *Ast* I, 116., *Olli* I, 254., IV, 165., XI, 256., *Quianam* X, 6., *Adcestis* I, 201., *Fuat* X, 108, *Traxe* V, 786., *Dominarier* VII, 70., *Farier* XI, 242., *Adcingier* IV, 495., *Admittier* IX, 231., *Defendier* VIII, 493., *Aquai* VII, 464., *Pictai* VIII, 26. *) cet.

*) Quintil. instit. orat. I, 7. §. 18: „Unde *pictai vestis* et *aulai* Virgilius, amantissimus vetustatis, carminibus inseruit.“ Macrob. Saturnal. VI, 9: „Maro, qui antiquae Latinitatis diligens fuit.“ Pompon. Sabin. ad Aen. X, 198.

Quapropter mihi quidem non anxie erit quaerendum ac scrutandum de aetate horum institutorum. Quodsi enim a poeta antiquiora memorari dispicio, in popularium suorum animum me referens bene sentio, qua voluptate legentes ipsi fuerint affecti, quam maiorum piorum ac simplicium imagines ac mores quasi intuerentur. Quum vero poeta me in tempora aevi Augustei rapit, admiror dignitatem, qua et ea, quae usu quotidiano vilia quodammodo et carmine indigna videri potuissent, tractavit apteque disposuit. Neque accurate aetatem investigo, (hoc enim est eius, qui antiquitates disciplinae compositione elaboret, neque eius, qui de Virgilio disserat,) sed Romanus integer, haec iam tunc temporis fuisse in heroum illorum consuetudine, facilis credo, omniaque, quae me circumdant, et sacra et profana, e Roma aeterna manasse sentio ac gaudeo.

Cui meae sententiae ut magis magisque animus eorum assuescat, qui has chartulas

---

„Sed admiramur vetustatem, quam sequitur Vergilius.“ Cf. Macrob. Sat. I, 24: „Ambo vetustatis affectationem in Vergilio praedicabant, alter in verbis, alter in verbis.“

dignas habent, quas legant: audiant velim viros quosdam literarum haud rudes de Virgilio iudicantes. Macrobius Saturnal. I, 24. amicorum de Virgilio disputationes narrans ita pergit: »Et Vettius: Equidem inter omnia, quibus eminet laus Maronis, hoc assiduus lector admiror, quia doctissime *ius pontificium* tanquam hoc professus in multa et varia operis sui arte servavit, et si tantae dissertationis sermo non oesserit, promitto fore, ut Vergilius noster pontifex maximus asseratur. Post hunc Flavianus, Apud poetam nostrum, inquit, tantam *scientiam iuris auguralis* invenio, ut, si aliarum disciplinarum doctrina destitueretur, haec illum vel sola professio sublimaret« cet. Adde Macrob. Saturn. III, 9. fin.: »Videturne vobis probatum, sine *divini et humani iuris scientia* non posse profunditatem Maronis intelligi?« Idem I, 26: »Maro omnium disciplinarum peritus.« Servius innumeris locis, ad quos omnes memorandos dies integer non sufficeret, quosque huc illuc advocabimus, Romanos ostendit mores. Cf. ad Aen. IX, 192: »*Populusque patresque.* Transfert in Troianos Romanam consuetudinem, *ut solet plerumque*; prius enim iubebat aliquid Populus, postea confirmabat

Senatus.« Attamen caute quum omnibus grammaticis antiquis, tum Servio est utendum, quippe qui gravia et notatu dignissima saepenumero commixta habeat cum argutiis omnino sane reiiciendis.

Adde Iul. Caes. Scaligeri Poet. III. c. 26: »Eo quoque et illud pertinet: *Cum aptat* (Virgilius) *historias sui temporis imagini veterum historiarum.* Venulum ex equo detractum scribit a Tarchonte atque cursu ablatum. Idem sibi evenisse ait Caesar in Ephemeride quemadmodum Servius memoriae prodidit. Aeneas dextra nuda iubet a caede abstinere: idem Caesar Pharsalico in conflictu, atque illis verbis: »parcite civibus.« sic et *mores cum repraesentat*, veluti ad Fauni oraculum: et bellis indicendis, »vina coronant.« »Nautae puppibus imposuere coronas.« Dido in convivio libat hospiti Iovi libat, non bibit: mos Romanarum foeminarum. Mos operiendi caput in sacris. Aras tenendi, sacrificandi Herculi extra muros: quia fuit paene semper peregrinus. Helenus vittas resolvit sacrati capitis vaticinaturus« cet. Idem V. c. 3. collato loco Homerico et Virgiliano addit: »Haec Romano ritu, ille suo.« Meae sententiae, quamvis taciti plerumque,

assentiuntur etiam Brissonius in Libris de formulis et solemnibus populi Romani verbis, praesertim vero ii de antiquitt. Rom. scriptores, quos Graevius aliique in thesauro collegerunt.

Sed quemadmodum rerum horum virorum sensum in his investigandis acumenque eorum admiror, ita aliquantulum mihi reprehendendi esse videntur, quum prima sane, in quam incurramus oportet, illa sit sententia, mos heroicae aetatis a Virgilio servatos esse existimemus. Hoc enim posteriores quoque poetas perficere potuisse, Quintus Smyrnaeus est testis, quippe qui revera spiret Homericum ingenium heroicisque temporibus aptum; hoc ipse perfecit Goethius noster in Achilleidis fragmento. Illi autem viri doctissimi, recentiores potissimum ad illos respicere debuissent, illos argumentis refellere ac refutare, qui haec omnia a Graecis deducta, et hic illic Romanarum rerum iucunda quadam varietate aspersa ac distincta esse nobiscum. Quod quum nequaquam fecerint, dubium sane quammaxime suae sententiae reliquerunt auctoritatem.

Ultimum mihi denique illud monendum esse videtur, grave esse accedere meae sen-

tentiae pondus ac momentum, quod tot tantique viri alius aliud ad Romanos ex Aeneide retulerint. Quae si omnia in unum colligis fasciculum, multum quidem abest, ut, quod horum extet, unumquodque iam sit notatum ac signatum; verumtamen si in his rebus ex

PARS POSTERIOR.

Quum mihi propositum sit [illegible] integram vitam in Aeneide descriptam a Virgilio partim e vivo Urbis aspectu, partim ex [illegible] rerum Romanarum status, memoria, ut [illegible] cia dicam, ad antiquitatem Romanam [illegible] delineatam: primum illud mihi [illegible] esse videtur, quaenam illa sint, quibus integrae contineantur vitae rationes. Vitam autem populi uniuscuiusque antiqui statuerunt scriptores publicam privatamque, sacram ac profanam. Ad publicam inprimis pertinet forma ac species rei publicae, cuius bene constitutae partem iuris civilis leges et instituta efficiunt. Cum re publica deinde arctissimo cohaeret vinculo rei militaris descriptio et administratio, e qua studium quoque maritimum apud gentes haud paucas videtur emanasse. Quam antiquitatis partem alteram appellemus profanam. A qua verbo segreganda, revera saepissime sunt copulata, quae tertio ponuntur loco, instituta religiosa, qui-

buscum sepulcrorum caerimonias coniungendas esse arbitror. In quartam denique partem vitae domesticae mores et artium decus reiicio, prohe scius, omnes has partes non solum non esse inter se omnino diversas et seiunctas, sed alteram semper fere ad alteram attingere ac pertinere. Omnis enim gentis alicuius vita una est et infracta. Quatuor igitur huius quoque dissertationis oriuntur partes ad illas describendae. Sed fundamento carent haec omnia. In morum enim et integrae vitae speciem, immo in rerum gestarum ordinem vim magnam situs, natura et forma eius exercent terrae, quam gens aliqua incolit. Quapropter hae ante omnia rationes erunt delineandae. Primo igitur huius quoque libelli loco Italia fortasse sit adumbranda, qualis a natura constructa et in gentes fuerit divisa. Attamen quum manifestum et omnibus iamdudum sit receptum *), poetam hoc egisse, ut Italiam atque

*) Cf. Ferd. Winckelmannus in novis annal. philol. et paedag. tom. II. fasc. 4. p. 566. Cf. Dr. Christ. Mueller's Rom's Campagna in Bezug auf alte Dichtung und Kunst. Leipzig 1824. Baehrius in historia literarum Latinarum laudat hunc praeterea librum: Maltebrun Annall. d. Voyages. Paris 1819. tom. III. p. 239. [illegible] sq.

Italos, praecipue vero Romam et Romanos describeret quam verissime, copiosissime et ornatissime: haec mittenda esse putavi. In qua quidem Italiae et Italorum descriptione non dubitavit, multas, quae ante Romam conditam nondum extabant, urbes nominare; attamen illud praecipue habuit in mente, ut gentes et urbes antiquioris Italiae quam plurimas, easque praesertim, quarum nomina oblivione paene erant obruta, participes redderet rerum gestarum, quarum praeconium versibus mandavit. Quorum populorum eos sine dubio, qui Romanorum partes constanter et perseveranter servaverant, nec bellis et inimicitiis Romanum deminuere studuerant imperium, illo iam tempore reddidit Aeneae socios et amicos, illos autem, qui perpetuo in Romanos odio certaverant, reiecit ad Rutulos Aeneam oppugnantes. Quos quum pugna redderet inferiores, quasi exemplum exhibuit bellorum illorum, quae postea in Italia revera sunt gesta.

Maior autem vis maiusque momentum situm est in illo, quod quaerendum mihi videtur, utrum Virgilius in Aeneide rei publicae statum ad Graecos adumbraverit, an ad Romanos. Quum post tempora illa heroica per

Graeciam regnum primo ad optimates, deinde ad multitudinem sit translatum, neutram vero rei publicae alteruro modo constitutae formam Aeneis exhibeat: illa sola restat quaestio, utrum Virgilius eum ante oculos habuerit statum, quem Ilias et Odyssea ferunt, an alium e Roma deductum. Quod priorem attinet, in illo credo ad unum omnes, qui Homerum legerint, consentiunt, rei publicae formam eam esse ab ipso descriptam, ut quamvis excellat atque emineat potestas nomenque regium, temperata illa tamen sit et aequata quodammodo ceteris duobus generibus, principum dico ac multitudinis. Cf. Platneri Notiones iuris et iustitiae ex Homeri et Hes. carm. expl. Marburg. 1819. II. c. 4. p. 113.

Quo autem clarius cognoscamus, quantum Virgilius ab Homero differat, opus est, ut regni statum ab illo descriptum propius consideremus. *Regnum* dico; etenim nonne Dido regina? Nonne Evander Latinusque sunt reges? Nonne ipse Aeneas rex et nominatur (v. g. I, 544. 553. 575, VI, 55., VII, 220. 267. al.) et actionibus suis designatur? Quae vero eae sunt actiones, quibus potestas significatur regia? Potissimum quidem huc ad-

vocandus est principatus belli domique ad ipsum pertinens. Prior ille satis clare et dilucide Aeneae a Marone tribuitur, omnia enim per Aeneadem ad voluntatem et consilium fiunt ipsius ducis). Nemo igitur Troianorum, qui impedimentum moveat illum, nemo, qui vel unā unquam verbo Aeneae propositum coretur reicere. Posteriorem autem principatus partem, domesticam dicam, poeta non potuit apte describere, quum Aeneas, semper errans, firmis nondum sedibus esset potitus. Videamus itaque, quae sit ceterorum in hoc genere conditio. Dido regina Aen. I, 507:

Iura dabat legesque viris operumque laborem
Partibus aequabat iustis aut sorte trahebat.

(Ad verba priora Pompon. Sabin. paucis enarrat historiam iuris Romani, ad posteriora haec habet: »*Aut sorte.* Hoc tractum a Romana consuetudine; nam praetores trahebant in expediendis negotiis sortes ex urna.«)

De Priamo audi poetam eodem modo loquentem VII, 246:

Hoc Priami gestamen erat, quum iura vocatis
More daret populis sceptrumque sacerque tiaras.

) Rex quoque Latinus belli portas recludere more antiquo iubetur Aen. VII, 601.

— — *Gaudet regno Troianus Acestes*
Indictique forum et patribus dat iura vocatis.

At apud Homerum quoque rex et ducis munere fungitur, et iura tractat. Cf. Feith. antiquitates Homericae II. c. 1. §. 3. Quae igitur differentia est inter Homerum ac Virgilium? Apud Homerum reges iuris tantummodo sunt administratores (cf. Platner. I. l. p. 96.), iuris autem dictio ipsa ad conciones pertinet. Cf. Platner. p. 108. Quemadmodum vero Romani ipsi in condendis legibus prae aliis omnibus semper excelluerunt populis: ita haec Romanorum indoles expressa est ea apud Virgilium ratione, qua reges ab ipso ut iuris *conditores* descriptos esse vidimus; conciones autem populi ad deliberandum nusquam apud ipsum convocantur. Si de concilio sermo est, v. g. III. 58. IX. 234., senatus convocatur. Disertis autem verbis nominatum senatus VIII. 105:

Iuvenum primi, pauperque Senatus.

Cf. I, 426:

Iura magistratusque legunt sanctumque Senatum.

Quo posteriore loco non solum senatus, sed magistratus etiam alii indicantur, quos non

poteris nisi e Romanorum moribus explicare *). Adde X. 116:

— — — *Solio tum Iupiter aureo*
Surgit, coelicolae medium quem ad limina ducunt.

Ubi Heynius ingeniose: »Hic Romanum agnosce: ut magistratum, ita dii deducunt Iovem.«

Alia regiae potestatis pars eo continetur, quod reges omnibus sacris tanquam pontifices praesunt. Macrobius, Servius alii modum et fines excedentes Aeneam interdum pontificem maximum seu flaminem appellaverunt. Quod viris doctis recentioribus cachinnum movere solet; immerito arbitror. Scilicet spe-

*) Ioan. Christ. Iahn, (Virg. oper. Lips. 1825.) ad l. l. p. 393, optime: „In hac urbis constituendae descriptione plura a Romanorum moribus ad Poenos transtulit. Hinc recte *iura, magistratus* et *senatum* commemoravit, neque hic versus ex Romanorum cogitandi ratione ab hoc loco alienus est. Non minus theatri mentionem ex amore, quo Romani ludis studebant, defenderem.“ Sed idem iam observaverat M. Ant. Maiorangius de Senatu c. 9 (in Polen. Supplem. utriusque thesauri tom. I. p. 799. F.): „Merito igitur poetarum princeps Virgilius, *qui semper ad Romanos respicit, etiam si aliud agere videatur*, sanctum appellat Senatum, cum ita inquit: *Iura magistratusque*“ sed idem e. 12. aliud Virgilii dictum e Romano more explicat. Quemadmodum autem Virgilius *sanctum Senatum* carmini suo intexuit, ita Aeschylus Areopagum. Cf. Gruppii Ariadne p. [illegible]

ctenda sunt tempora, quibus Aeneis est scripta. Augustus enim quum non solum tribunus plebis et imperator, verum etiam pontifex esset maximus, quum etiam primis Romae temporibus quaedam publica sacra per ipsos reges essent factitata (Liv. II, 2): Virgilius a ratione et more neque populi Romani, neque aetatis suae abhorruit regem Aeneam eodem describens more omnium sacrorum praesulem.

Homeri temporibus in usu fuisse videtur, virum virtute clarum, reges itaque inprimis ob sua in populum merita agro donari, qui τέμενος vocatur. Cf. Platner. l. l. p. 98 sq. Ex quo more explicaverunt viri docti hos duos Virgilii locos, alterum Aen. XI, 316:

Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni,
Longus, in occasum, finis super usque Sicanos;
Aurunci Rutulique serunt . . .

alterum IX, 274:

Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus,

Sed non opus est, ut Graecum huc advocemus morem; idem enim patrius mos extitit Virgilio, ut testantur Servius ad posteriorem locum et Dionys. Halicarn. III. c. 2. (qui ambo iam a Feith. antiq. Hom. II, 3. §. 1 laudati sunt), hic quidem disertis verbis

[illegible] Wagneri quaestione XXXIII. Virgil. tom. IV. p. 588.) Aen. I, 343. Huic [illegible] Sychaeus erat, ditissimus agri Phoenicum. At Phoenicum divitiae non ex agri cultura proveniebant, sed e mercatura et navigatione. Hinc *auri*, non *agri*, scribendum putat Huetius. Scilicet obversabantur [illegible] poetae latifundia illa et immensae agrorum possessiones divitum Romanorum.

Quod insignia attinet regiae dignitatis, primum sane locum et apud Homerum et Virgilium obtinet sceptrum. Quod si e Graeco more velis deducere, illud tamen spectes quaeso, hoc insigne tam commune esse omnibus populis antiquis, ut vix dici possit, Graecorum hoc praecipue fuisse. Deinde vero ille, quem Romani gestabant triumphantes re publica etiam stante, scipio eburneus cum aquila nihil aliud erat, nisi sceptrum ipsum. Quod cetera insignia attinet, audias velim regem Latinum, qui Aeneae (XI, 334.) mittit

Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

Ubi Cerda docte: Attingit proculdubio morem Rom. Populi, qui *sellam* mittebat Regibus praecipuo munere. Liv. libro XXVII. (c. 4.) loquens de Syphace: Legati dona tulere

[illegible] purpuream, [illegible] neam, [illegible] Adde Aen. VIII, 566. Sciolcat intelligendae [illegible] curulis et trabea, quae quam proprie sint Romanorum, non necesse est disputare. Est enim in promtu. Plura vero alia illius moris exempla praebet Brisson. de formulis II, c. 132. Hoc subiungo. Quemadmodum in comoediis, tragoediis quoque et antiquioribus et recentioribus quaedam dicuntur, quae non solum ad fabulae contentum, sed ad spectatores etiam pertineant, ita illa quoque verba non ex animo regis Latini, sed e Romano sensu dicta esse videntur. Adde fasces VII, 173.

Hinc sceptra accipere et primos attollere fasces
Regibus omen erat.

Quo posteriore loco quamvis iure possis dicere, poetam non id egisse, ut Romanum indicaret morem, sed hac voce in universum usum esse pro primo regni initio: vides tamen, quantopere omnia in Virgilio conversa fuerint in Romanum sentiendi cogitandique modum.

Quibus rationibus subductis summa haec est eorum, quae hucusque exposita sunt. Apud Homerum ea est illorum temporum

conditus, ut non ars aptrachitrium hominis, sed, quae plurimum valebat, natura et consuetudo formam rei publicae contineret. Cf. Platner. Notiones iuris. II, 4. init. Apud Virgilium autem ubique vestigia apparent rerum arte et ingenio iamdudum edoctarum, vestigia institutorum Romanorum.

De iure privato.

Omnem poetam, quum carmen fundit, quod in aetate antiquiore versatur, nonnullius temporis leges et instituta tempore posse eo servare, sed sui aevi notiones rationesque esse illaturum, et rei natura fert, et in quibusdam iam carminibus viderunt, qui harum rerum sunt indagatores et perscrutatores. Sic in carmine, quod inscribitur: Reineke Vos, iuris periti v. g. Heineccius et Dreierus notiones rationesque iuris medio aevo propriás perspexerunt atque explanaverunt. Quid quod ex Homero et Hesiodo eruit Platnerus notiones iuris et iustitiae. Unde mirum videri debet, de hisce rebus, quantum ad Virgilium attinet, nullum fere verbum adhuc esse scriptum *). Hanc igitur

*) Exstat sane, ut e Fabricii bibliotheca Latina tom. I.

partem relictam explebimus nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro. Qui autem examinat ponderatque hoc Aeneidis momentum, in eam manibus pedibusque eat oportet sententiam, ut arbitretur, Virgilium in Aenea ceterisque heroibus describendis e Romano tantum iure esse locutum. Primo enim tempora illa heroica non ita erant culta ac polita, ut certa et fixa legibus statuta et scripta fuisse videantur. Deinde, si revera res publica et privata legibus iam et institutis fuisset temperata, attamen illa aetas tam longe erat remota, ut illa nequaquam ullus posterioris temporis poeta ex carminibus relictis mente clara concipere potuisset. Denique Romani in his tantopere excelluerunt, ut putandum sit, poetam Romanum ab iis, quae in patria aut antiquiora aut recentiora invenerit, recedere nec voluisse nec potuisse.

Quod ita concludendo effecimus, confirmatur scriptoribus Romanorum antiquis. In-

---

p. 307. cognovi, disquisitio de P. Virgilio Marone iurisconsulto ad Eclog. III, 17—24. ab Erhardo Reuschio conscripta (Helmst. 1728. 4.), cuius libri copia mihi deerat. Alter excursus ad Aen. X, 74. sqq., quem W. A. Macieiowski Varsaviae 1827 edidit, de Virgilio ne ullum quidem verbum continet.

signis praecipue est Digestorum locus I. ti
fr. 7. »Cenotaphium quoque magis pla
locum esse religiosum, sibut testis in ea
est Vergilius« (Locus Aeneidis, quem spe
Martianus, est III, 300—305.) Quae sine
bio ostendunt, Vergilium a iuris Romano
peritis eum esse habitum, cuius verba a
quum iuris morem exhiberent. Quod si
est, statuamus certo oportet, Maronem qu
accuratissime Romani iuris statum in op
bus expressisse. Quod per singula quoq
firmari, exemplis quibusdam ostendemus.

I. Inter quinque illas antiquas legis act
nes extat una, quae manus iniectio appel
tur. Cf. Gaius IV. §. 21. Quam spectat po
Aen. X, 419.

Iniecere manum Parcae telisque sacrarunt
Evandri.

Ubi Servius: »Traxerunt debitum sibi, et s
mone usus est iuris. Nam manus iniectio
citur, quotiens nulla iudicis auctoritate e
spectata, rem nobis debitam vindicamu
Macrobius Saturnal. III, 7: »Nam ex man
iniectione paene mancipium designavit,
sacrationis vocabulo observantiam divini iu
implevit.«

colonum, quam agrum vectigalem et stip diarium, iam Germ. animadvertit. Ita in quum ager Latini regis describeretur, tam (v. 318.) Aurunci Rutulique serunt.

III. Quantopere Virgilius consentiat c iis, quae Romano iure sunt statuta, vid potest etiam ex iis, quae ad nuptias pertine Ex hoc enim *connubium stabile* (Aen. I, 7 II, 678., IV, 126.) est explicandum. Ex eod iure Romano vituperium, quo nuptiae cu peregrinis notantur, v. g. IV, 103. Prae pue vero servavit consuetudinem Romanam iis, quae ad dotem pertinent. Scilicet notu est uniculque, qui Romani iuris elemen primis gustaverit labris, dotem maritis uxorum patribus dari. Quod Maro etia antiquis illis tribuit Aen. IV, 104. (que locum Servius de in manum conventio explicat, quod e poetae verbis mihi non er posse videtur.) VII, 423., IX, 757., XI, 36 Contra VII, 318. de donatione propter nupti videtur esse intelligendus. Patris deinde er libros potestatem apud Romanos nulla co strictam fuisse lege, quis est, qui ignore Unde cum vi quadam Virgilius XI, 558.

Ipse pater famulam voveo.

Ubi Servius: »Bene *ipse pater*, quia auct

ramdi potestatem nisi patres non habent.« Cerda affert Culacium in Paratitlis haec scribentem: »Pollicitationis species est votum, quod Deo fit, sed illud in eo praecipuum, ut soli patres familias ex eo obligentur, quasi actu solemni (nam et praesentibus multis fiebat voti nuncupatio) aut filius familias, et servus iussu eius, in cuius potestate sunt et, secundum ius Virgilius: *Ipse patar famulam voveo.*«

IV. Virgil. Aen. VII, 423:

Rex tibi coniugium et quaesitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quaeritur heres.

Ubi Servius: »De iure traxit, ut non generum sed heredem diceret. Nam per coemtionem facto matrimonio sibi invicem succedebant.«

V. Addo eos locos, in quibus ad leges Romanas spectasse poetam constat: Aen. IV, 492:

Testor, cara, deos, et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artis.

Ubi Servius: »Quia, quum multa sacra Romani reciperent, semper magica damnarunt.« Cf. Heynius, qui haec copiose illustrat. Alius locus extat Aen. VI, 609:

Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens et fraus innexa clienti.

Ubi Servius: »Ex lege duodecim tabularum venit, in quibus scriptum est: Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto.«

Fortasse huc trahendus est tertius quoque locus XII, 603:

Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.

Ad quem idem interpres: »Sane sciendum, quia cautum fuerat in pontificalibus libris, ut, qui laqueo vitam finisset, insepultus abiiceretur; unde bene ait *informis leti*, quasi infamissimae.«

Concludo hanc disputationis meae partem verbis scriptoris docti antiqui Auli Gellii Noct. Att. III, 2: »Isthaec autem omnia (de dierum temporibus et finibus), ad observationem disciplinamque iuris antiqui pertinentia, quum in libris veterum inveniremus, non dubitamus, quin Vergilius quoque id ipsum ostenderit, non exposite atque aperte, sed, ut hominem decuit poeticas res agentem, recondita et quasi operta veteris ritus significatione.«

II.

Demonstrare conaturus, ea quoque, quae ad res militares in Aeneide pertinent, a Ro-

manis esse omnia desumta, initium faciam ab eo signo, quod belli exordium indicare solebat. Quod signum hasta erat in hostium agrum missa. Cf. Brisson. de formulis. IV. c. 11. sq. Quam Romanorum consuetudinem aperte ac manifesto Virgilius antiquis illis tribuit IX, 52:

En! ait et iaculum adtorquens emittit in auras,
Principium pugnae.

Ubi cf. Servius. Adde Aen. XII, 266. Romae interea, quum bellum auctoritate patrum sancitum est, Iani templum aperitur (Aen. I, 294.). Quod VII, 601. sqq. *) a Virgilio ita narratur, ut hunc antiquissimum fuisse morem diserte dicat. Falso autem hanc consuetudinem a poeta in illa vocari tempora, quippe quae primum a Numa Pompilio fuerit instituta, iam Servius monuit; idemque poetam eo defendit, quod carmini suo historiam miscere soleat **).

*) Prorsus nescio, quo tandem errore ductus Christ. Mueller. (Rom's Campagna tom. II. p. 142) hunc locum ad ferias Latinas referat.

**) Cerda ad VII, 601: „Non itaque in vetere Latio mos viguit, non Albae; neque hoc Latino potuit contingere. Talia multa in Poetis sunt. Res sui aevi superioribus attribuunt."

Quam sententiam et nos maximo amp
ctimur studio, si historiae nomini non e
strictam quam vulgo tribuas significatione
sed poetam Romana quaeque in auxilium
genii vocasse dicas. Illum vero morem it
Virgilio vides allatum, ut non solum, qu
nescires, ex institutis Romanorum revera
audires, verum etiam habitum consulis
hoc ritu solemnem optime posses perspic

Tertius quidam Romanae militiae r
subest initio libri octavi:

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit et rauco strepuerunt cornua cantu,
Utque acris concussit equos utque impulit arm
Extemplo turbati animi . . . . . .

Ad quem locum Heynius haec adnota
»In belli signo, vexillo, ex arce proden
Romanum morem adumbrasse videri pot
qui in comitiis superstes mansit, ut vexill
in arce tolleretur; sed puto argutius hoc qu
vere dici. Signum puto per ipsa illa *corn*
us. alt. explicari. Sic sup. VII, 512:

Pastorale canit signum cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem.«

Verumtamen, quod statim videbit quisq
aliud est »signum *efferre*«, aliud »signu

canere«. Deinde tubam et lituum non belli signum κατ' ἐξοχήν esse, verum etiam aliis inservire commodis, patet ex Aeneide V, 113. 139. *). Cur porro ex arce afferatur tuba, equidem ignoro. Denique, quem v. cl. comparat, locus minime ad hanc rem aptus est, quum ibi signum nequaquam sit instrumentum, — quod tamen nostro loco ex Heynii sententia significari oportet, — sed de saeva Dea sermo sit, quae pastorale canat signum, i. e. sonorum seriem, qua pastores evocentur. Audias Macrob. Saturnal. I. c. 16: »Praeliales dies a iustis non segregaverim; siquidem iusti sunt continui triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum russei coloris in arce positum est.« Quem locum laudavit Orellius ad Arnob. advers. gent. II, 67: »Cum paratis bella, *signum* monstratis *ex arce*?« Copiosior est Servii ad nostrum locum commentarius, qui duo vexilla unum equitum, alterum peditum afferri tradit. Quod nihil detrahit explica-

*) Ne quis me circuli, ut vocant, reum faciat, audiatur Cerda ad hunc locum: „*Tuba* ex Romano more, quo in Circo tuba signum dabatur ad emissiones equorum. Plin. lib. II. epistol.“ cet. Idem Servius, cui assentitur Wagner. tom. IV. p. 589.

tioni nostrae. Cf. Stewech. ad Veget. III, Lips. de milit. Rom. I, 3., IV, 12.

Qui autem cives erant ingenui, a pri inde pubertate armis exercebantur; nobil res viro in castris probatissimo addeban iuvenes, ac tirones militabant. Quem Roi norum morem notissimum suavissime delin vit poeta VIII, 514. sqq.:

Hunc tibi praeterea, spes et solatia nostri,
Pallanta adiungam, sub te tolerare magisti
Militiam et grave Martis opus, tua cernere fa
Adsuescat primis et te miretur ab annis.

Cf. Servius ad VII, 162—165:

Ante urbem pueri et primaevo flore iuventu
Exercentur equis . . . . .

»Bene Romanae militiae exprimit more Nam post pubertatem armis exercebantur: sexto decimo anno militabant, quo etiam sc sub custodibus agebant.«

Quemadmodum autem Romani omn quae egere, diis tantum auspicibus incipi bant, ita bellum quoque nonnisi faustis om nibus inchoare solebant. Si egressi ma pugnassent, revertebantur ad captanda rurs auguria. Cf. Servius ad Aen. II, 178:

Neo posse Argolicis excindi Pergama telis
Omina ni repetant Argis.

Ubi Servio consentiens Heynius: »Ductum, inquit, videtur ab imperatoribus Romanis, qui ad auspicia repetenda ac renovanda nonnunquam ex castris reverti solebant, si v. c. malum omen inciderat.«

Castra autem ipsa per posteriorem Aeneidis partem ita sunt conscripta, ut animo poetae insita semper sit forma ac species castrorum Romanorum. Quod perspici potest e propugnaculis (IX, 664.) ad ipsa pertinentibus; saxa dico sudesque (XI, 473.), aggerem (VII, 158:

Moliturque locum, primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.

castrorum sc. Romanorum. IX, 567. 769. 784., X, 24. 144., XI, 382., XII, 446. 564.) et vallos (X, 120., XI, 915.), fossam denique (IX, 567., X, 24. 236., XI, 382. 888.). Adde excubias *)

*) Radbod Herm. Schedius ad Hygini Gromatici de castrametatione librum (in Graev. thesaur. Ant. R. tom. X. p. 1038.): „Virgilius castra Aeneae *more poetarum ad modum suae aetatis revocans*, totas legiones ad vallum in excubiis ponit, iisque curam dat valli tuendi: (IX, 174.) *Omnis per muros legio* . . . . . "

(IX, 159. 174. 291. 314.) stationesque (IX, 18
222.). Quae omnia quantum habeant cu
Romanorum consuetudine conspirantem
paene conflatum consensum, conspicere pot
ris ex quocumque libro de ipsorum disciplii
militari. Quod idem dicendum est de sig
datione (III, 239. XI, 474.), quae VIII, 533. cl
sica vocantur. Adde locum insignem VII, 63

Classica iamque sonant; it bello tessera signu

Ubi Pompon. Sabin.: »Tessera, inquit, signu
est, quod habent milites inter se, ut dign
scantur vel nomine vel aliquo signo.« C
Lips. de milit. Rom. IV, 12. Multa praeter
hic possent addi de verbis militaribus, quali
sunt: *Arma, ferte arma*, (II, 668., III, 234
IX, 37., X, 242., XII, 425.), *signum velle*
(XI, 19.)*), *vir virum legit* (X, 361., XI, 632
manum conferre, conserere, committere. (I
45. 690. 741., XI, 283., XII, 480. 678., XII, 60.
Cf. Brisson. de formulis IV. Quae vero ten
poris me cogit angustia omittere; duos autem
proferam locos, qui insignem, ni fallor, pra
se ferunt vim. Servius ad II, 148. sq.:

*) Ubi Heynius: „Verba Romana; et captis auguriis i
fieri solitum.“ Ioach. Henr. Iaeckius: „Vellere, inqui
more Romanorum, qui in castris humi defigebant signa

Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios
Noster eris.

haec adnotat: »Licet hostis sis. Et sunt, ut habemus in Livio, imperatoris verba transfugam recipientis in fidem: Quisquis es, noster eris. Item (X, 228.): *Vigilasne deum gens?* Verba sunt, quibus pontifex max. utitur in pulvinaribus: quia variam scientiam suo inserit carmini.« Alter locus est IX, 641., ubi Iulum e pugna redeuntem alloquitur Apollo: *Macte nova virtute puer.* Quae verba quam habeant subtiliorem sensum, declarat Seneca, qui epistola 67. tradit, sanguinolentis ex acie redeuntibus dici solitum: Macte virtute esto. Quem morem revera extitisse probavit Brisson. de formul. IV, 29. multis aliis scriptorum locis, quibus nostrum addas.

Alius, qui saepissime extat apud Virgilium, mos bellicus, est clamor militum ad pugnam se accingentium v. g. XI, 454. 609. 622. 745., XII, 268. Quem Romanum fuisse audias ab Aulo Gellio noct. Att. I. c. 11: »Quid ille vult ardentissimus clamor militum Romanorum, quem in congressibus proeliorum fieri solitum scriptores annalium memoravere? Contrane institutum fiebat antiquae disciplinae tam probabile?«

Quis porro negabit, poetam Roma
rum morem indicare, quum de phala
(II, 254., XI, 92., XII, 544. 551.), de mani
(XI, 464. 870.), de legione (VII, 681., VIII, 6
IX, 368, X, 120., XII, 121. 563.), de cohe
(VII, 710., XI, 500.), de alis (XI, 604. 730. 8
868., XII, 551.), turmis (XI, 503. 518. 599. 62
cuneo (XII, 269. 457. 575.) talibusque n
tis aliis loquitur, quum significat magistr
equitum (V, 560—563., IX, 370. *), IX, 1
et centurionem (IX, 162.) **)? Quis, inqu
est, qui Aeneidem reiicere velit in heroic
aetatem, quum pila (VII, 664., XII, 121.)
glandes liventis plumbi (VII, 687., IX, 58
phalaricam (IX, 705.), aliaque arma Home
nusquam cognita in horum heroum vid
usu? Cf. Scaliger Poetic. l. l.

Quae quum ita se habeant, gaudeo
haec nuper invenisse Adriani Turnebi ver

*) Ioach. Henr. Iaeckius: „Scutum, inquit, oblongum, n
rotundus clypeus in usu fuit Romanorum equitu
Alludltur hic ad magistrum equitum, qui Dictatori
iungebatur.“

**) Hoc iam tetigit Hieronymus Mueller in (Homer und Virg
Eine Parallele. Erfurt 1807. p. 49): „Der Krieg h
nicht die poetische Gestalt mehr wie beym Homer:
hat aufgehört ein vervielfachter Zweykampf zu sein:
zeigen sich schon Spuren von Taktik.“

in Adversar. lib. XIV. c. 13: »Maro libenter poemáti suo Romanos mores inserit, et iis opus distinguit suum et ornat: ac, ut mihi videtur, decus opimorum *) spoliorum Aeneae tribuit XI. lib. (v. 7.) caeso Mezentio, quae et Marti Gradivo dicari facit in trophaeo: sic enim canit,

Mezenti ducis exuvias, tibi, magne, trophaeum
Belli potens.

Harum rerum observatio et ingeniosum ostendit poetam et poema eruditione commendat: sic quum ait, (XI, 301.)

Praefatus divos, solio rex infit ab alto.

Morem antiquorum expressit, qui antequam verba in senatu vel concione facerent, deos precari solebant.« cet. (De hoc posteriore more loquitur Servius quoque ad Aen. IX, 259.) Quorum prius tantum, de trophaeo exemplum ad hanc de re militari partem pertinet. Spolia occurrunt praeterea I, 289., IX, 450.,

*) Cuius decoris quum adeo rara fortuna fuisset, ut tria tantum inter tot annos, tot bella opima parta essent spolia (cf. Liv. I, 10. fin, Virg. Aen. VI, 859.): perquam apposite Aeneam quoque huius gloriae participem reddidit.

X, 500. 775. 862., XI, 782. 790. Spolia o
VI, 855., X, 449., tropbaeum III, 288., X
775., XI, 172. 224. 790. Militaribus a
spoliis non raro fores publicae decoraba
et privatae. Quod de foribus templorum
bat Caspar Sagittarius de ianuis veterum.
§. 2. (in Graev. thesaur. tom. VI. p. 508.
Horatio, Ovidio, Persio et ex Virgil. Aei
360., VII, 183., IX, 408. Adde VIII,
Quod idem Sagittarius §. 7. de privatorun
ribus probans: »Apud Virgilium, inquit,
mano more dicit Acestes, de Entelli dom
Aen. v. 393.:

Ubi fama per omn
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tect

Foedus in extremo Aeneidis libro, qu
tum cum Romanorum more vetusto cons
tiat, iam Scaliger agnovit Poetic. V. c.
Plenius autem videbis, si Livii I, 24. evol
ris. Quae vero Brisson. de formulis IV,
de *aequo foedere* profert, ea magis argu
quam vere dicta mihi videntur. Militib
denique e bello redeuntibus hostilis agri p
tio quaedam a Romanis dari solebat. Un
Turnus Eumedem neci daturus eumque ir
ridens haec dicit (XII, 359.):

En agros, et quam bello Troiane petisti
Hesperiam metire iacens; haec praemia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic moenia condunt.

Ubi Gerda: »Allusum, inquit, ad morem, quo duces victores suis militibus agros hostium dividebant.«

Quod urbium et castellorum obsidionem attinet, quis est, qui ignoret, eam Homeri aetate omni arte vacasse? Cf. Terpstra Antiquit. Homeric. IV. c. 11. p. 321. Quae vero quum apud Virgilium tantopere inveniatur exculta, nemo erit sine dubio, qui hanc ex heroicis temporibus velit deducere, sed confitendum erit, poetam in his quoque sui seculi instituta ante oculos habuisse. Qui attente librum II, 440. sqq. et IX, 503. sqq. legerit, omnem de hac re mittet dubitationem; si quis fortasse fuerit pertinacior, attamen testudo *) (II, 441., IX, 505. 514.), aries (II, 492. XI, 890., XII, 706. murale tormentum XII, 921. sq.), scalae (II, 442., IX, 507. 524., XII, 576.), turres denique mobiles (XII, 675.) in obsidionibus usitatae ad populum Romanum necessario erunt revocandae.

*) Heynius ad Aen. IX, 505. fatetur, Virgilium in testudine egressum esse Homericam τειχομαχίαν. Attamen non machinem, sed scuta tantum iuncta esse contendit.

Non possum, quin hic insigne dictum viri docti Sigraisii afferam. (Cf. Memoires de l'Academie des inscriptions. tom. XXV. p. 58. Sur l'Énéide de Virgile, considerée par rapport à l'art de la guerre.) Haec eius sunt verba: »On a remarqué, que Virgile met de la Cavalerie, des enseignes et des instrumens de guerre dans ses batailles, et il est visible, qu'en général il présente une milice fort différente de celle d'Homère, quoiqu'il s'agisse des mêmes temps: c'est la milice même des Romains, qu'il adopte« cet.

De navibus.

Adr. Turneb. Advers. XIV, 4:

»*Triplici pubes quam Dardana versu*
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Cum Maro dicit, triremen describit, quam tamen nullam belli Troiani tempore fuisse notum est, cum triremes primus aedificaverit auctore Thucydide Amynocles Corinthius multis postea seculis: sed poetae non perinde historiae fidem exequi solent: et apud eos crebri sunt *ἀναχρονισμοί*.« Heynius ad eundem locum (V, 120.): »Etsi triremes, inquit, serius inventae, ut ex Thucydide satis constat, tamen

Virgilius in his Homericam subtilitatem veritatemque non sequitur.« Quodsi aliis haec doctissimorum virorum verba exprimas, nihil sub his latebit, nisi Virgilium sui seculi habitum et statum in illa tempora in his quoque delineandis transtulisse. Cui sententiae cetera quoque nequaquam adversantur, quae in Aeneide ad naves pertinentia leguntur. Tacco biremes (VIII, 79.), puppes (V, 198.) prorasque aeratas (X, 223. 293.), remos aeratos (I, 35., X, 214.), tacco transtra (III, 289., IV, 273., V, 136. 663. 752.). Silentio praetereo cetera navium arma, quae plurima ostendunt, quantopere iam fuerit exculta res navalis. Hic tantum nomino rostra navibus addita *) (V, 143. 187. 232., VII, 186., X, 157. 295.), nomina ipsis imposita **) (IV, 116—123., X, 166. 209.), pictasque carinas ***) (V, 663., VII, 431., VIII, 93.). Huc denique advoco alium, quem iam supra p. 27. tetigi, morem,

*) Cf. Wagner. quaestion. Virgil XXXIX. (tom. IV. p 589.): „Itaque ille iam tempore rostrorum usum inventum, aut Italis cognitum fuisse putabimus? Sed omnino frequens eorum mentio apud Virg.“

**) Cf Scheffer, de militia navali III. c. 21. (in Polen. Supplem. thesauri utriusque. tom. IV. p. 921. sq.).

***) Cf. Plin. Nat. Hist. XXXV, 31.

quo nautae puppes coronabant navium. Aen. IV, 418. et Georg. I, 303. sq. *).

Quibus consideratis spero, fore ut mecum consentias, a Virgilio non exigendam esse veritatem illam, quam Homero nescio an immerito tribuimus, quippe quum poeta Romanus, intelligens, verum illorum temporum habitum nullo modo posse teneri, Romanorum instituta in carmen suum, quod horum gloriae sacrum esset, recipere mallet, quam in aliis rectum tangere, in aliis a vero aberrare.

III.

Ferd. Winckelmannus (in nov. annal. philol. et paedagog. vol. II. fasc. 4. p. 569.) recte scripsit: »Auch bei Schilderungen religiöser Sitten und Gebräuche (wie XII, 169. und folg.) hat Virgil sich gewiss genau nach den Traditionen der Vorzeit gerichtet. Alle sich hierauf beziehenden Untersuchungen bestätigen die historische Genauigkeit, mit welcher er bei solcher Gelegenheit zu Werke ging.« Recte hoc vidit, sed non satis definite est elocutus. Quaeritur enim, utra sit illa

*) Cf. Forcellin. s. v. coronarius. fin.

antiquitas, cuius traditiones secutus sit Virgilius, Graeca an Romana. Singulis vero considerationibus videbimus, omnia tantopere ad Romanos ritus atque caerimonias descripta esse, ut dilucidius vix possit. Attamen quo facilius horum rituum copiam perspiciamus, certo quodam ordine haec perscrutemur.

§. 1. *De diis.*

Romani, quum deorum, quorum ipsis accidit scientia, peregrinorum indolem puram neque animo percipere, nec literis reddere possent: hosce aliarum gentium deos in eorum naturam solebant mutare, quos ipsi colebant domesticos. Quid igitur mirum, si Virgilius deos illos Homericos Romanos fecerit, quid mirum, si patrios carmine suo expresserit? Quod ipsi etiam singulari de caussa est concedendum. Quum enim, Troianorum deos in Italiam ab Aenea esse translatos et cum indigetum numinibus mixtos, per famam accepisset: num quaeso poeta aptius hoc et dilucidius popularibus poterat indicare, nisi ea ratione, ut patrios sui aevi tanquam Troianorum aut Latinorum deos illi tribueret aetati*)?

*) Alii quoque poetae et antiquiores et recentiores aut caritate patriae, aut consuetudinis domesticae, sensu o-

Quod ut perspicuum est, ita inter omnes constat. Audias Macrob. Saturn. III. c. 4. med.: »De diis quoque Romanorum propriis id est penatibus adspersa est huic operi non incuriosa subtilitas.« cet.

Romana vero natura, quum in diis maioribus spectatur, tum maxime in minoribus. Romani enim credebant, homini unicuique singulos deos sive genios esse datos, qui eum per vitam ducerent. Cf. Forcellin. s. v. Genius. Quam eorum religionem expressit Virgilius Aen. IV, 610., IX, 184. (ubi Serv. videas), XII, 540. Eodem modo Romanorum de genio loci superstitionem in suum vocavit carmen VII, 136. et V, 95. Posterior hic locus integer de angui, dapes in aram impositas libante, omnino ex antiquitate Romana est delineatus. Permultae enim tabulae, in quibus talis erat pictus, olim videntur extitisse. Vide librum ex Anglico versum, qui inscribitur: Pompeji. Leipzig 1835. vol. II. part. 4. p. 93. sq. Magis autem huc pertinet alter

dam et affectu ducti non potuerint, quin nimia patria carminibus mandarent. Insignis est locus v. cl. Welckeri (in comment. schol. univers. 1832. part. II. p. 163.) de Statio disserentis.

eiusdem libri locus p. 131., quo scriptor, postquam docuit, primo et lares compitales et genios tutelares sub forma saepenumero anguium expressos, deinde angues praesentes pro omine fausto habitos, eamque ob caussam non raro in aedibus Romanorum nutritos esse, haec addit verba notatu sane digna: »Virgil schildert mithin in einer schönen Stelle, wo er die göttliche Natur benutzt, welche man Schlangen zuschrieb, weiter nichts als eine Scene, wovon er oft Zeuge gewesen seyn mag: Virg. Aen. V, 84—95.« cet.

§. 2. *De sacris aedibus et simulacris.*

Macrobius Saturn. III, 2. de Virgilio dicit haec: »Verborum autem proprietas tam poetae huic familiaris est, ut talis observatio in Vergilio laus esse iam desinat: nullis tamen magis proprie usus est, quam sacris vel sacrificalibus verbis.« Idem deinde c. 4. init. studet demonstrare, a Marone eam quoque proprietatem, quae ad nomina sacrorum pertineat locorum, esse servatam. Quum verò minor nobis ex Aeneide copia affluat, Romanam ex his eruendi rationem, mittamus ea, ne argutias sectari videamur. Hoc unum moneo Quemadmodum [illegible] aevi pictores, histo

sacrae tabulas conficientes, quum omnia suae aetatis propria, tum templa quoque aliaque aedificia Gothico, quem recentiores vocant, more exstructa in tempora illa remotissima non invitis popularibus suis transtulerunt: ita Romanis quoque non solum non iniucundum, sed gratissimum fuisse coniiciendum est, quod, quum sua omnia per hoc carmen in speciem quandam politiorem et clariorem mutata invenirent, tum aedes quoque sacras suas quasi oculis conspicerent. Huc pertinent ea, quae Fabricius habet apud Burman. ad Virg. Aen. I, 448: »*Aerea cui.* Ad urbis Romae praeclara aedificia sui temporis interdum alludit, ut hoc loco ad Pantheum, in quo in hunc usque diem aereae trabes et valvae conspiciuntur. Ad Iani Gemini sacellum aeneum lib. VII, 608. ad Apollinis Palatini templum marmoreum lib. VI, 69. ad Augusti Palatium et porticum *ἑκατόστυλον* lib. VII, 170.«

Quod simulacra deorum attinet, hoc velim consideres, unius tantum Palladis sedentis simulacrum in arce Troiana ab Homero memorari (cf. Terpstra, Antiq. Hom. I. c. 3. §. 6. Mueller. Archaeologia artis. §. 65.), apud Virgilium vero deorum simulacra haud raro indicari v. g. II, 320. 517. 717., III, 148. 174.,

VII, 443. Quam frequentiam non poteris nisi ex eorum apud Romanos multitudine maxime aucta explicare.

§. 3. *De sacerdotibus et sacrorum ministris.*

Quum munera et officia sacerdotum apud Graecos Latinosque non valde differunt, tum apud Virgilium non multa ab Homero in his diversa leguntur. Attamen silentio non praetereundum esse existimo, quod quindecimviri librorum servandorum vaticinio indicentur Aen. VI, 73. Potitii porro et Pinarii munere iam suo funguntur VIII, 269.; Salii quoque a poeta illis iam temporibus tribuuntur VIII, 285. *). Cf. Macrob. Sat. III, 12. Addo haec e Wagner. quaestion. XXXIX:

*) Cf. Bernadin de st. Pierre Préambule de l'Arcadie: „Tout ce que Virgile vient de raconter ici, *n'est point une fiction poëtique mais une veritable tradition de l'histoire Romaine.* — — — Les Saliens étaient des prêtres de Mars institués par Numa, au nombre de douze. Virgile suppose, suivant quelques commentateurs, qu'ils existaient déjà du temps du roi Evandre. Mais il y a apparence, que *Virgile a suivi encore ici la tradition historique*, lui qui a recueilli avec une sorte de religion, jusqu'aux moindres augures et aux prédictions les plus frivoles, auxquelles il attache la plus grande importance dès qu'elles regardent la fondation de l'empire romain."

»V, 760: »tumuloque sacerdos Ac lucus late sacer additur Anchiseo.« Sacerdos puta flaminem.«

Laocoon ductus sorte sacerdos est Aen. II, 201., ubi Cerda: »Allusum ad morem sacrorum, nam ubi certus deerat sacerdos, alius sorte ducebatur: ergo sacerdos Apollinis Laocoon, sorte obtingente, Neptuno sacrum facit. Serv. Hoc autem fuisse ex more Romano firmat German. hoc loco. Tacit. lib. I. Ann. (c. 54.): Idem annus novas caerimonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio: ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti.«

Quod sacrorum ministros attinet, praecones, qui plurimi sunt apud Homerum ministri et profanarum rerum et sacrarum (cf. Feith. antiq. Hom. II, 5.), nusquam fere in Aeneide *), sed popae victimarii Romanorum more se gerentes apparent v. g. VI, 248.

*) Unus excipiatur locus V, 245, de quo Cerda, postquam demonstravit, praecones Romae ad usum fori fuisse, haec habet: „Ergo cur dicam cum Lipsio a Militia Graeca sumptum praeconium ad ludos Romanos? *et non potius a foro Romano et Comitio ad ludos Romanos?*“ Quod optime adnotavit vir doctissimus.

Eosdem Heynius advocat XII, 119. Attamen viri doctissimi in posteriore loco ratio et oratio sibi ipsa non constat.

§. 4. *De precationum formulis.*

Memoratu non indignum videtur, precibus in Aeneide saepissime subesse formulas precationum Romanarum.

Profanos, in sacris quibusdam arceri solitos ostendunt plures scriptorum Romanorum loci, quos collegit Brisson. de formul. I, 9., quibus addas Aen. VI, 258:

Procul; o procul este profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco.

Alia formula, quae in sacris Romanis usitatior erat, his verbis erat concepta: Favete linguis quisquis ades. Cf. Brisson. de formul. I, 16. Quam Virgilius expressit V, 71:

Ore favete omnes et tempora cingite ramis *).

Cf. VIII, 173., I, 735. Romani porro, quum nonnisi a diis praesentibus hominibus afferri posse auxilium crederent, eos solebant precari,

*) Servius ad hunc locum: „*Cingite t. r. ex Romano more.* Nam statim ludis omnis aetas coronata spectabat, quod ostendit per Aeneam, Acesten, Ascanium, per quos omnem demonstrat aetatem.“

ut adessent. Cf. Arnob. adv. gent. III, 43., ubi haec e libris Romanorum pontificalibus procul dubio sunt depromta: »Adeste, adestote, dii penates, tu Apollo, tuque Neptune, omniaque haec mala, quibus uror, torreor, vexor, vestri ruminis averruncate clementia.« Servius ad Aen. VIII, 72:

Tuque, o Thybri, tuo genitor cum flumine sancto — —

(v. 78.)

Adsis o tantum et proprius tua numina firmes.

»Sic enim invocatur in precibus: Adesto, Tiberine, cum tuis undis.« Ubi poetam docte non solum illud *adsis*, verum etiam illa: *tuo cum flumine sancto* posuisse notaveris. Cf. Aen. I, 734:

Adsit laetitiae Bacchus dator et bona Iuno.

IV, 576:

— — Sequimur te, sancte deorum
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adsis o placidusque iuves

---

*) Falso Brisson. de formul. I, 119. advocat lib. IV. Ceterum videas apud eundem aliorum exempla permulta, quae innumeris possunt augeri.

X, 254:

Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques
Augurium Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.

X, 461:

Te, precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis.

X, 773:

Dextra mihi deus et telum, quod missile libro,
Nunc adsint.

»Quin etiam de Deorum, quorum opem implorabant, nomine certo Romani dubitantes, dicere solebant: Quisquis es.« ait P. Merula (de sacrif. Rom. c. 6.) et probat allatis Plaut. Rudent I, 4, 37. et Virg. Aen. IV, 576:

— — *Sequimur te, sancte deorum,*
Quisquis es.

In illis, quae de posteriore loco Serviani commentari argutantur, hoc unum videtur probabile: »*Quisquis es.* Secundum pontificum morem, qui sic precantur: Iuppiter omnipotens, vel quo alio nomine appellari volueris.« Adde IX, 21:

— — *Sequor omina tanta,*
Quisquis in arma vocas.

Ibi v. 208:

— — *Ita me referat tibi magnus ovantem*
Iuppiter, aut quicunque oculis haec adspicit
aequis.

Duo denique loci iique insignes restant, in quibus Virgilius formulas solemnes mire servavit. Quos non possum, quin addam. Alter legitur I, 632:

— — *Simul divom templis indicit honorem.*

Ubi Servius: »Apud maiores nostros mos fuit, ut magistratus post res serias, quae consulto peragebantur, in fine actus adderent: Diis honorem dico; vel alio modo: Hinc ad deos; quod poeta amator antiquitatis subtiliter docet.« Alter est X, 228. sq.:

— — *Vigilasne deum gens*
Aenea? Vigila.

Ubi Servius: »Verba sunt sacrorum. Nam virgines Vestae certa die ibant ad regem sacrorum, et dicebant: *Vigilasne rex Vigila.* Quod Virgilius iure dat Aeneae, quasi et regi, et quem ubique Pontificem et sacrorum inducit peritum.« Cf. Serv. ad II, 148 ex quo Niebuhrius hausit in historiae Romanae tom. I. p. 350. not. 807. dicens: »Deum gens,

Aeneae statt genus: und Virgil nahm den Ausdruck aus einer pontificischen Formel.«

Possent haec quidem, quae de imitatione precationum attuli, multis aliis augeri exemplis. Sic Romani pacem ac veniam petebant deorum, invocabant eos, ut faverent annuerentque ipsis, ut volentes darent aliquid, ut ipsos respicerent cet. Sed ab his variis de causis abstineo. Primo enim similitudo talium cum iis, quae in poetarum carminibus possunt agnosci, satis superque iam a Brissonio lib. I. de formul. est declarata. Deinde metuo, ne in idem vitium incurram, quod vir ille doctissimus interdum vitare non potuit, ut ea nimirum pro solemnibus habeam, quae revera e poetica tantum, seu humana potius indole prodierunt, neque aliter potuerunt edici. Denique multa etiam propter rationem brevitatis et temporis praetermittenda existimo.

§. 5. *De victimis.*

In eligendis animalibus, quae diis offererentur, non solum apud Graecos, sed apud Romanos maxima erat religio. Opus enim erat, ut animal rationem quandam haberet ad deum illum, cui sacrificaretur. Unde

factum est, ut non solum genus pecudum, utrum masculinum esset an femininum, quaereretur, sed color quoque et alia, quae sub unius vocabuli nomine non possunt comprehendi, in earum electione respicerentur. Inprimis illud spectabatur, ut symbolicum aliquid victimae inhaereret. Cf. Macrob. Saturnal. III, 5. et 10. Serv. ad Virg. Georgic. II, 395. ad Aen. III, 118. Arnob. adv. gent. VII, 21. sqq. Quae religionis pars a Romanis maxima cum cura vel exculta, vel aliunde recepta est. Unde nos admiratio haud tenebit videntes, a Virgilio nostro leges Romanorum pontificias summa cum verecundia esse servatas. Quam religiose autem poeta singulo cuique deo singulare assignaverit animal, ex eo praecipue noscitur, quod grammatici, quum in uno loco (III, 21. sq.) Iovi taurum, loco iuvenci, contra ius pontificium sacrificatum esse putent, hanc difficultatem ipsis paene inenodabilem summis argutiis explicare nitantur. (Quam vero explicationem afferunt, non digna est, quae notetur. Non enim viderant, a poeta etiam VI, 253. tauros appellari, qui revera sunt iuvenci, ut e VI, 243. apertissimum. Deinde vero taurum Iovi praecipue immolari, docet diserte verbis testis sane

luculentus Arnob. adv. gent. VII, 21.) Quod grammaticorum studium satis superque ostendit, quam apta omnia Romanis institutis et accommoda senserint. Poeta vero ipse suam in his religionem, quam tenuerit, indicare voluisse videtur, quum non raro hostiarum immolationem *rite, ex more, de more* fieri dicat. Cf. VII, 93., V, 96., IV, 57., VI, 39., VIII, 544. Quod denique omnem nobis tollit dubitationem, illud est, quod in unoquoque Aeneidis loco ratio Romana haud magno cum labore erui potest. Huc advoco ut quam maxime insigne, sacrificium illud, de quo haec habet Adrian. Turneb. Adversar. XIV. c. 4: »Sacra quaedam solitaurilia *) veteres appellabant ab immolatione suum, ovium, boum, hoc genus sacrificii Maronem putem significasse, cum scripsit (V, 96.)

— — *caedit quinas de more bidentes*
Totque sues, totidem nigrantes terga iuvencos.

ibid. fin. (V, 772)

Et tempestatibus agnam,

*) Alii suovetaurilia appellant. Cf. Forcellini s. v. Ceterum more Romano haec sacra fieri claris verbis docet Tacit. Annal. VI, 37: „Sacrificantibus, quum hic more Romano suovetaurilia daret, hic" cet.

hoc scribit, quod ut ait Cicero lib. 3. de natura Deorum, tempestates pop. Rom. ritibus consecratae erant, tempestatique, ut deae minori, minor hostia immolabatur, ut foeminae foemina Horat. (Epod. X, 23.)

Libidinosus immolabitur caper
Atque agna tempestatibus.«

Turnebo assentitur v. cl. Cerda. Sed non viderunt, idem sacrificium indicari Aen. I, 635. sq.:

Simul divom templis indicit honorem.
Nec minus interea sociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pinguis centum cum matribus agnos *).

Iniuria tamen ad suovetaurilium retulit Forcellin. lexic. Servii verba ad Aen. XII, 170:

Saetigeri fetum suis intonsamque bidentem
Adtulit admovitque pecus flagrantibus aris.

---

*) De generibus animalium, quibus hoc sacrificium constabat, scriptores dissentiunt. Alii enim sue, ove, bove, factum dicunt, alii tauro, verre, ariete. Cf. Forcellin. lexic. s. v. At Dionys. Halicarn. Ant. Rom. IV. c. 26. tauro, ariete et hirco lustratum esse dicit. Quid poeta noster senserit, e locis allatis nescio an possit colligi.

Deest enim hoc loco taurus, quo suovetaurile compleatur. (XI, 197. sqq. deest ovis, nisi fortasse dicas, voce pecudis utroque in loco animalia illa significari. Quod metuo, ne sit magis argutum, quam verum.) Nihilominus tamen morem inesse Romanum, Servius satis docet his verbis: »More Romano, ut (VIII 641.): *Caesa iungebant foedera porca.* Nam Homerus aliud genus sacrificii commemoravit.« Agnam scilicet (Il. VIII, 246.) Porcus immolatur in foedere etiam apud Liv. I, 24. Cf. Varron. de re rustica II, 4. med. Vide Forcell. s. v. porca. Agnam autem e Romani populi consuetudine iam supra vidimus Turnebo teste immolari tempestatibus. Cf. Aen. III, 121. Quapropter non mirum, si eadem VI, 249. sq. Nocti immolatur, quo eodem loco Proserpinae vacca sterilis, »deae, nunquam enitenti, congrua,« ut Servius dicit. Cf. Arnob. adv. gent. VII. c. 21: »Si caper caedatur Iovi, quem patri solemne est Libero, Mercurio mactari: aut bos, si sterilis Unxiae, quam Proserpinae tribuitis, quo ritu atque observatione praecipitur: quid facinoris in hoc erit?«

Taurus Neptuno et Apollini mactatur Aen. III, 119. sqq.

Sic fatus meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Quod rite factum esse, et ipse poeta per verba: *meritos honores* indicat, et Macrobius testatur Saturnal. III. c. 10. Sed satis superque de hostiis a me dictum et Romanum morem in his demonstratum esse reor.

§. 6. *De sacrificandi ritibus.*

Rituum sacrificandi pars ad eos pertinet, qui sacrificant; pars ad ea, quae sacrificantur. Quapropter primo quidem agendum erit de moribus sacra peragentium, deinde de iis, quae in victimis immolandis fieri solent.

I. Romanorum maxime proprium erat, ut caput velarent sacrificantes. Cf. Plutarch. Quaest. Rom. c. 10. 13. Ita vero Romanorum hoc erat, ut hic sacrificandi Romanus vocaretur ritus. Cf. Macrob. I, 8., III, 6. Varron. de Lingua Lat. IV, 29. Quapropter mirandum sane non est, si Helenus Aen. III, 403. sqq. haec praecipit:

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignis in honore deorum
Hostilis facies occurrat et omina turbet. cet.

Quodsi nulli alii extarent testes, ex hoc solo loco non coniiciendum, sed statuendum esset, hanc caerimoniam revera fuisse Romanam. Tam diserte enim nemo de tali ritu loquitur, nisi quem saepissime habuerit ante oculos, cuiusque originem e populi ipsius ore tradat. Quod revera ita se habere discimus ex scriptoribus a Brissonio de formul. I, 57. allatis.

Cum hoc caput velandi ritu cohaerere videtur vittarum apud sacerdotes usus. Gf. Aen. II, 221., III, 81., VI, 665., VII, 418., X, 538. De quibus vittis videas Paschal. de coronis IV. c. 22., a quo quidem per integrum librum Graecos raro a Romanis seiunctos esse doleo; attamen in capite modo allato nullorum nisi Romanorum scriptorum invenies locos, unde — quod satis notum e monumentis antiquis — vittas Romanis sacerdotibus in usu fuisse admodum frequenti, colligas oportet.

Alium ritum Romanorum proprium Vitruvius nos docet IV, 5. Affirmat enim, ab immolantibus spectari coeli partem orientem, ut sane fit Aen. XII, 172:

Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas.

Quod recte Servius ita explicat: »Non

utique solem surgentem dixit; (iam diudum enim dies erat,) sed disciplinam caerimoniarum secutus est, ut orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus.« Adde Aen. VIII, 68.

II. Rituum in sacrificandis hostiis maxima apud Romanos fuit copia. Huc pertinent victimarum vittae (II, 153. 156., V, 366.), earundem probatio (v. g. VI, 244., XII, 174.), immolatio i. e. salsarum frugum iniectio (v. g. II, 133. *), XII, 173.) alia multa. Quae omnia,

*) Ad hunc locum Cerda inter alia haec adnotavit: „Roget quisquam an Maro alluserit ad Graecum, an ad Latinum morem? Primum ego existimaverim, Virgilium commutasse Graecum in Latinum. Id indicant verba ipsius *salsae fruges*, quibus innuitur coniunctio frugum et salis. nam si hordeum integrum, et fruges integrae, qui salsae?“ Huc pertinet etiam *far pium*, quod Aeneas V, 746. cum *plena acerra* affert, postquam in somniis Anchises ipsi apparuit reperaque multa praedixit, post prodigium igitur magnum ipsi visum. Cuius loci, ut propriam et insignem vim perspicias, opus est, ut compares Plaut. Amphitr. II, 2. 106.

Recte dicit, ut commemisit, somnium narrat tibi.
Sed, mulier, postquam exporrecta es, prodigiali lovi
Aut mola salsa hodie, aut thure comprecatam oportuit.

Ad quem locum cf. Taubmann.; qui multos scriptorum locos attulit, quibus haec Romanorum consuetudo somnia expiandi firmatur. (Adde Aen. III, 177.) Vides, quantopere Plautus ac noster conspirent; sed illud quoque observes velim, vocabula et *pio* et *plena* e Romanorum moribus esse explicanda.

quum iam Brisson. de formul. I. c. 21—47. Latinis scriptoribus ut Romana probaverit institúta, et locis Virgilianis auxerit, neque ea interpretatione mea aut ornatius explicari, aut planius exprimi possint: non opus mihi esse videtur, ut mutato ordine haec repetens viri illius doctissimi fontibus hortulos meos irrigem. Habeo autem quod addam. Quippe iam puero mihi olim maxime erant in sacris ab Homero conscriptis, quae mirarer, illa μηρία pingui obducta, quae diis solent offerri. Cf. Feith. Antiquitt. Hom. I. c. 10. §. 6. Terpstra Antiquit. Hom. I. c. 8. §. 6. Quae toties occurrentia quum Virgilius nunquam commemoret, satis declarat, ipsi in animo haud fuisse ritus tenere sacrorum. Tam insigne enim horum momentum a poeta illo nequaquam est transsiliendum silentio, qui illorum temporum, illius populi habitum est servaturus. Romano more exta diis offeruntur, exta porriciuntur. De quo et more et verbo apud Virgilium (V, 238.) consulas Macrob. Saturnal. III, 2. Cf. Orell. ad Arnob. adv. gent. II, 68. Liv. XXIX, 27. diserte de Scipione Nasica: »Secundum, ait, eas preces, cruda exta victimae, *uti mos est*, in mare porricit, tubaque signum dedit proficiscendi.«

Sin autem modo ea ratione, qua Virgilio morem Homericum Graecumque deesse diximus, momentum aliquod nostrae sententiae addere sumus conati: idem nunc nobis est in animo adhibentibus rationem prorsus oppositam, qua Virgilio moris cuiusdam copiam esse probemus, cuius apud Homerum nullum extat vestigium. Thus enim apud Homerum nusquam (cf. Heyn. ad Aen. V, 745.), apud Virgilium saepius (I, 407., IV, 453., VIII, 106., XI, 481.) invenitur. Insignis est locus Arnobii adv. gent. VII, 26: »Nam neque temporibus, quemadmodum creditur et perhibetur, heroicis, quidnam esset thus, scitum est, scriptoribus ut comprobatur a priscis, quorum in libris nulla posita eius mentio reperitur: neque genetrix et mater superstitionis Hetruria opinionem eius novit aut famam, sacellorum ut indicant ritus: neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in usum cuique venit, sacra cum res fieret: neque ipse Romulus, aut religionibus artifex in comminiscendis Numa, aut esse scivit, aut nasci: ut *pium far* monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnium munia«*). (Cf.

*) Cerda ad Aen. V, 745. haud felici cum successu in Arnobio refutando operam dedit.

qui in Orellii editione tom. II. p. 407. in eandem sententiam citantur, Festum, Plin. Nat. hist. XIII. c. 1. alios.) Quod si verum est, ut videtur, quis est, qui neget, Maronem thus quoque e Romanorum sacrificiis in illa reduxisse tempora?

§. 7. *De arte magica.*

Per medium aevum extiterunt fabellae de Virgilio mago satis lepidae et multae. Quarum originem quum ad gloriam debebis referre, quam Virgilius nactus est ut poeta doctissimus, tum ad arcana quaedam, quae in eius carminibus latere dicebantur. Ad illam autem magi famam Virgilio tribuendam nescio an non contulerit multa, quae in eius carminibus extat, sacrorum magicorum mentio et expositio.

Apud Homerum *νεκυία* quidem occurrit i. e. manium per sacra evocatio, sed magia ut ars nondum ab illo est descripta, ut recte iam docuit Terpstra (Antiquit. Hom. I. c. II. §. 3.) contra Feithium*). Apud Virgilium autem magia ars est exculta. Cf. Aen. IV, 493.

*) Virg. Cir. v. 374. haec vocat:

Sacra nec Aeacis senibus nec cognita Graiis.

Quam, ut manifestum fiat, e magia Augusti tempore per Romam longe lateque diffusa ortam et in Aeneidem deductam esse, compares Aen. IV, 487. sqq. cum Horatii Sat. I, 8. Epod. V. et XVII. Cf. Ovid. Remed. am. v. 250—260. In quibus primum quidem illud Romanis est proprium, quod feminae has artes exerceant. Quae incantationibus animum humanum, ut cunque velint, regere et in universum naturae leges convertere se posse profitentur. Sic Aen. IV, 487. sqq.:

Haec se carminibus promittit solvere mentis,
Quas velit, aut aliis duras immittere curas,
Sistere aquam fluviis et vertere sidera retro.

consipirant cum Horatii Sat. I, 8. v. 19. sq. Adde Horat. Ep. V, 45. Ubi interpretes laudarunt Virg. Eclog. VIII, 69., Horat. Epod. XVII, 5. et 78.

Quae vero in hanc rem singula adhibentur Avernales aquae (Aen. IV, 512.), cerea effigies (508.), herbae nocentes (514.) alia, ab interpretibus sunt omnia iam satis superque e Romanis scriptoribus illustrata, ita ut haec quoque e magna apud Romanos tunc temporis frequentia sint explicanda. Testem denique luculentum adiungimus Plin. Nat. Hist. XXVIII. c. 4: »Defigi quidem diris depreca-

tionibus nemo non metuit. — — — Hinc Theocriti apud Graecos, Catulli apud nos, proximeque Virgilii incantamentorum amatoria imitatio.

§. 8. *De divinatione.*

Quae de divinatione dici possunt, ea duobus comprehendi licet partibus, quarum altera ostenta (i. e. visa fausta et infausta fortuito oblata) et auguria (i. e. signa a diis petita et data) continet, altera oracula. Quum vero Romanus in his ostendendus sit mos, posteriora seiungenda esse videntur, quia oracula semper fere peregre peti solent, eademque copiam disputandi haud magnam praebent. Ostenta autem silentio non praetereunda existimo, in quibus nullam usquam temeritatem, sed ordinem et artem poeta semper servaverit. Huc v. g. pertinet Romanorum mos omen casu oblatum in bonam partem accipiendi. Cf. Liv. I, 7. 34. Qui saepius est in Aeneide v. g. V, 530., VI, 193. sqq., VII, 118., IX, 21. sq., XII, 260. Restant auguria. Quod divinationis genus quum iam usque ab heroicis ductum temporibus, et apud Graecos firmatum sit: speciem aliquam veri is prae se ferre videtur, qui auguria in Aeneide ar-

ad illos referat. Attamenquae de auguriis apud Homerum memorantur, ea quidem tam pauca sunt et minuta *), quibus poetarum nemo tam claram huius rei speciem mente concipere potuerit, ut carmine redderet. Deinde, quum apud Romanos auguriis sacerdotioque augurum tantus accessisset honos, ut nihil belli domique, nisi auspicato, gereretur, concilia populi, exercitus vocati, summa rerum, ubi aves non admisissent, dirimerentur (Liv. I, 36.): quid naturae magis consentaneum esse potest, quam quod Virgilius hanc quoque rerum sacrarum partem ab iis didicerit? A Romanis autem hanc artem in Aeneidem defluxisse ii testes mihi sunt loci, in quibus genus quoddam augurum a sacerdotum seiunctum poeta commemorat v. g. IX, 327. **), XII, 258. 394. 460. Multo magis vero illud ii testantur loci, qui morem certum aliquem continent. Huc pertinet, quod Romani, quum omen aliquod accidisset, deos

*) Vide Terpit. Antiquit. Hom. I. c. 10. §. 3.

**) Ad quem locum I. H. Jacobus: „Proeludit, inquit, ad morem Rom., ut e Patriciis eligeretur sacrorum rex, vel rex sacrificulus; subditus tamen is erat pontifici maximo, et ab auguribus et pontificibus eligebatur. Talis Abarnus augur videtur fuisse.“

petere solebant, ut dubium adhuc firmarent omine secundo. Quem morem illico agnoscit Aen. II, 692., ubi postquam flammam circum caput Iuli vidit, Anchises precatur:

Da deinde auxilium, pater, atque haec omina firma.

Servius: »Secundum Romanorum morem petit, ut visa firmentur. Non enim unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili. Nam si dissimilia sunt posteriora, solvuntur priora.« Idem fere Pompon. Sabin. Cf. quos interpretes iam attulerunt, Virg. Aen. VIII, 78. et Cic. divin. I, 47. Adde Aen. VII, 259. sq. et III, 497. sq.:

Troiamque videtis,
Quam vestrae fecere manus, melioribus, opto, Auspiciis.

Ubi I. H. Iaeckius: »Allusum, inquit, ad morem Romanorum, quibus si prima hostia aut primae aves non fuissent ex voto, iterum auspicabantur.« Pergit poeta II, 692:

Vix ea fatus erat senior; subitoque fragore
Intonuit laevum et de coelo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

Quod *laevum intonuit*, hoc ad Romani augurii consuetudinem dictum esse, Ciceronem ipsum testem habemus de divin. II, 39. §. 82. de Ennii

loco aliquo disserentem. Quum vero idem, quod apud Ennium, apud Virgilium quoque occurrat, Ciceronis verba non secus sunt considerauda, ac si de Marone ipso illud dixisset. Adde Aen. IX, 630 sq. Alterum, quod apud Virgilium est in augurio, lumen scilicet, ad ea visa pertinet, quae faces vocantur. De quibus Romanos scriptores audias in Segeri libello, qui inscribitur: Die Prodigien der alten Welt. p. 39.

.... Haec de sacris sufficiant, quibus Romanus in Aeneide morum habitus ostendatur. Quae non omnibus quidem numeris absoluta, quibusque alia quaedam v. g. de libationibus *) epulis **), de deorum festis ***), pom-

*) Cf. Macrob. III, 11.

**) Cerda ad Aen. VII, 175: „Alludit, inquit, proculdubio ad Romanum morem, quo epulum dari in templis consuevit."

***) V. g. Apollinis (VI, 70.), Bacchi (VII, 389., XI, 736.), Herculis ad aram maximam (VIII, 102. sqq.). Herculis autem sacra Graeco semper ritu a Romanis esse peracta, disertis verbis testantur Liv. I, 7. et Macrob. Saturnal. III, 6. fin. Haec igitur sunt illa sacra, quae respiciens Macrobius Virgilii circa externa sacra doctrinam miscendam laudat ibid. init. Sed quemadmodum Romulus haec una ex omnibus peregrina suscepit teste Livio I, 7. fin., ita Virgilius quoque ea, quamvis Graecum Homerum prodentia, carmini intexuit suo, quippe quae et Romae recepta et huic nationi maxime Romanae

pia *) cet. addi posse, ipse probe scio. Sed in animo quum mihi nunc non sit, integras antiquitates Virgilianas scribere, ea in otium futurum reservo ad funera nunc transiturus.

De funeribus.

Quum apud Romanos tantus esset sepulcrorum honos, ut tota huius iuris pontificalis pars magnam religionem caerimoniamque declararet: illud fortasse non erit amplius mirandum, quod apud Virgilium quoque tanta existat horum rituum copia, ut e locis in Aeneide ad funera pertinentibus integra fere exsequiarum Romanorum descriptio possit elaborari. Attamen extat iam Kirchmanni liber de funeribus Romanorum magna cum doctrina conscriptus. Quem si evolveris, affatim perspicies, omnes in his apparatus in Aeneide descriptos omnino esse Romanos. Quapropter in hoc morum genere non amplius commorarer, nisi me Heynii dicta quaedam moverent ac tenerent. Mos enim extitit apud Romanos purpureas vestes in mortuum

*) V. g. II, 238, ubi Heynius: „Ceterum, inquit, poetam ad thensas Romanorum morum saeculumque pompam respexisse, non improbabile est.“

coniiciendi. Quem profecto ante oculos habuit poeta VI, 221:

Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt;
Purpureasque super vestis, velamina nota,
Coniiciunt.

Sed Heynius: »Etsi, inquit, ad suorum popularium morem respicere potuit, de quo laudant Intpp. nota loca Cic. de legg. II, 23. Liv. XXXIV, 7., tamen magis probabile fit, Homerum ante oculos fuisse Od. XXIV, 59. At Iliad. XXIV, 796. cinis purpurea veste obtegitur.« Nihil equidem moneo contra virum doctissimum, sed lectoribus diiudicandum committo, utram magis probent sententiam, Heynii, an P. Merulae, in cuius libello de legibus Romanorum c. 9. (in Polen. Suppl. thes. utr. tom. I. p. 90.) haec sunt: »Huc etiam spectare videtur Virgilius lib. VI. Aeneid. v. CCXX. *Purpureasque* cet. Purpureae vestes, nihil aliud ex consuetudine Romana, quae in Latinorum auctorum explicatione maxime spectanda, quam Rica et Ricinia« cet.

In rogum vero urentem non solum arma, ornamenta, victimae coniiciebantur, sed alia quoque munera, odorifera praesertim. Vide Creutzer. Römische Antiquitäten. §. 305. Cf. Virg. Aen. VI, 224. sq.

Congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres oliuo.

Heynius ad hunc locum: »Mox, ait, in ignem coniici puta thus, oleum; sed quid dapes? an putabimus, Romanae plebis superstitionem in vitam heroicam a poeta esse illatam, cum in rogo, vel ad rogum, epulas mortuis apponerent et cremarent? de quo locus est Luciani ab Hemsterhusio illustratus Contempl. 22. Non puto; sed verbo sacrificali corpora boum, suum, ovium (vid. inf. IX, 197. sq.) tamquam victimarum, caesa et in ignem iniecta, significat poeta; cf. Iliad. ψ, 166. sq. Odyss. ω, 65. sq.«

Quod illam, quam dicit Heynius, Romanae plebis superstitionem, in vitam heroicam illatam, attinet, equidem sane hanc minime ab hoc loco abhorrere puto. In illo enim ad unum omnes consentire video, superstitionem plebis cuiuscunque a nemine poetarum indignam esse habitam, quae carmini intexatur. Immo aptissima est poetis carminis materies. Quapropter non video, cur Heynius de Romanae plebis superstitione, in vitam heroicam illata, tanto cum vituperio loquatur. Num fortasse minor erat illa Achillis superstitio, qui equos, canes, alia in rogum coniecit? Deinde si thus e more Romano in rogum

videsne, nonne haec alia quoque ex consuetudine erunt explicanda, praesertim verbum ipsum *dapes* nihil aliud indicet, nisi cibos in rogum positos? de more cf. Kirchmann. IV, 5. Quid quod ture et carnes eadem de re coniunguntur apud Arnobio VII, 51. fin.: »Haec sunt dona optatissima, sacrificia haec vera, nam pulticulae, thura cum carnibus, rapacium alimenta sunt ignium, et parentalibus coniunctissima mortuorum.«

IV.

Restat ut perorem aliquando, et de vita Romanorum domestica nonnulla delibem. Quae quantum in Virgilii Aeneide tanquam in speculo relucent, dicturus a domo ipsa ordiar; de qua nonnulla afferam, quae spero fore ut demonstrent, in Aeneide alia etiam esse spectanda, quam *mores animosque clarorum virorum*. Extat enim Vitruvii locus VI. c. 10. init., cuius haec verba mea consilio sufficiunt: »Atriis Graeci — non utuntur, neque nostris moribus aedificant, sed ab ianua introeuntibus itinera faciunt« cet. Quod quum ex hoc loco probetur, Graecos

in aedibus exstruendis atria non addidisse, atria igitur sint propria aedium Romanarum, quae eadem a Virgilio saepissime nominantur, (v. g. I, 725., II, 483. 528., IV, 666., XII, 474.) quum denique, si pars praecipua quaedam et insignis rei alicuius nominetur, insanum sit, rationes alius rei prorsus diversae ad illam tranferri: necessaria consecutione efficitur, poetam nostrum speciem et formam Romanarum solummodo aedium mente concepisse ac per carmen suum expressisse. Quodsi interpretes veteres inspicias, iis quoque hoc nunquam in dubium venisse videbis. Nec tamen hoc unum est solumque argumentum, quo uti possim. Partes enim aedium omnes, quae memorantur, ad Romanam ubique delineatae sunt consuetudinem; v. g. vestibulum (II, 469., VI, 556. 575., VII, 181.). Aliud exemplum huc pertinens praebet liber, a me iam supra laudatus, qui inscribitur: »Pompeji. Leipzig 1835.« vol. II. part. 1. p. 12. sq., ubi scriptor de aedium Romanarum partibus disserens haec in nostram sententiam suppeditat: »Fauces waren Passagen, insbesondere die, welche vom Atrium in das Innere des Hauses führten. Mithin braucht Virgil das Wort nicht blos in einer metaphorischen Bedeutung:

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci.
Aen. VI. 273.«

Sed ante multa iam secula de hoc versu haec, quae nobis probantur, monuit Aul. Gell. Noct. Attic. XVI, 5: »Meminisse autem debebimus id vocabulum (vestibulum) non semper a veteribus proprie, sed per quasdam tralationes esse dictum: quae tamen ita sunt factae, ut ab ista, de qua diximus, proprietate non longe desciverint: sicut illud in VI. Vergilii,

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae.

Non enim vestibulum priorem partem domus infernae esse dicit, quod obrepere potest, tanquam si ita dicatur: sed loca duo demonstrat extra Orci fores, vestibulum, et fauces: ex quibus vestibulum appellat ante ipsam domum et ante ipsa Orci penetralia. Fauces autem vocat iter angustum, per quod ad vestibulum adiretur.« Huc pertinet etiam compluvium II, 512., in quo Heynius in excursu XI. p. 426. recte agnovit, »Virgilium Romanum morem esse sequutum, posthabito more Graecorum.« Sed idem dicendum erat ad v. 487:

— — — Penitusque cavae plangoribus aedes
Femineis ululant.

Ubi vir doctissimus: »Cavae, inquit, cum dilectu positum epitheton respectu habito ad sonum.« Quum vero cavaedium revera partem domus fuisse cameratam, e Vitruvii VI. c. 3. (cf. Plin. Epist. II, 17. §. 5.) fuisse sciamus, hoc, quod cuique statim Romano illa legenti in mentem venire oportebat, respexisse poetam arbitror. Quod tangere videntur Servii quoque verba: »*Cavae aedes*, tecta camerata *).« Artem igitur camerandi a Virgilio heroicae iam aetati tributam audimus. Cf. Aen. VI, 631:

Moenia conspicio atque adverso fornice portas

Ubi Servius: »*Fornice*, arcu. Cicero (Verr. act. I. c. 7. §. 19.): Videt ad ipsum fornicem Fabianum.« Sic Aen. I, 505. memoratur testudo templi. Testudines autem Nonio teste sunt loca in aedificiis camerata. Quae camerandi ars Italis maxime propria quum a De-

*) Nunc videō Adriani Turnebi Advers. XII, 5: „Sed et cum ait *penitusque cavae plangoribus aedes.* Cavaedium intelligit, quod post atrium erat, explicaturque a Varrone et Vitruvio, inquit Maro, *Amplexaeque tenent postes, atque oscula figunt.* Hoc ut opinor, e Romanorum moribus dictum est, qui religionis aliquid liminibus et postibus tribuebant.“

mocrito quodam primum circa Olympiadem XC. inventa vel ex Italia in Graeciam fuerit translata *): Virgilium in his quoque non solum ab Homero dissentire, sed suorum etiam popularium institutum ad illa tempora videmus transferre.

Iniucundum fortasse non erit his, quae de aedibus protuli, de theatro quaedam subiungere. Quod institutum ab heroicis temporibus tam alienum vides a Virgilio eis iam tributum Aen. I, 427:

Hic portus alii effodiunt, hic alta theatri
Fundamenta locant alii immanisque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.

Cf. Wagner. Virgil. opp. tom. IV. p. 588: »Theatra non urbes solum habebant Virgilii temporibus, sed etiam oppida. Itaque suae morem aetatis respiciens poeta, inter publica, quae, quum conderetur Carthago, fiebant ibi aedificia, recenset etiam theatrum, quamquam res scenica multo post inventa est« cet. Cf. Iahn. ad Aen. I, 426: »Non minus theatri mentionem ex amore, quo Romani ludis stu-

*) Cf. K. O. Mueller, Handbuch der Archäologie der Kunst. §. 107.

debant, defenderem.« In libro V. quoque, ubi ludi describuntur, voces plerumque a theatri constructione sunt ductae *) v. g. 288. sqq. 340. 551. Cf. XII. 269: *Turbati cunei*; ubi Heynius: »Cuneos e theatro petitos ornate pro consessu et concessus ordinibus dixit.« Huc trahitur etiam IV, 471:

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit, ultricesque sedent in limine Dirae.

Iure v. cl. Naekius in doctissimo de Choerilo libro p. 94. alii hanc comparationem tanquam alienam a dignitate epica reprehenderunt. Attamen nescio, an Virgilii iudicium ab hac macula possit purgari. Statuunt enim viri illi, idque ex communi loquendi more recte statuunt, *scenis* dictum esse pro in scenis i. e. in theatris. Attamen fieri fortasse posset, ut scenae h. l. non theatri partem significarent, sed visiones. Quod quidem exemplis demonstrare nequeo, sed sermonis contextu ductus ut coniecturam viris

*) Circum Romanum poeta per hunc librum ad vivum paene expressit. Cf. Cerda ad v. 113. 129. 132, 139. 148. 262. Iaeck. ad v. 137. 148.

doctis profero. Quae si posset firmari, comparatio recta et sana esset instituta. Sermo enim est de Didone mente capta visisque variis anxiata. Comparatio instituitur cum Pentheo, qui *demens* Furiarum agmina, solem geminum, duplicesque Thebas videt, cum Oreste, qui scenis agitatur. Quae scenae i. e. visa amplius describuntur versu sequente, quum matrem facibus et serpentibus armatam et Diras in limine sedentes fugit. Vocibus *scenis agitatus* respondet itaque in priore comparato illud *demens*. Firmat denique meam sententiam locus alter Aen. III, 331:

— — *Scelerum Furiis agitatus Orestes.*

Sed unde digressa est, eodem revertatur oratio. Neque enim Romanae solum aedes menti Virgilii, Aeneidem scribentis, inerant, verum etiam omnis earum apparatus, omnia instrumenta, quae ad usum quotidianum et ad cultum exquisitiorem pertinent, v. g. pilenta. De quorum apud matronas Romanas usu contulerunt iam viri docti Festum s. v. cum Liv. V, 25. Virgilius autem iam antiquioribus illis matronis pilenta tribuit XI, 478:

Subvehitur magna matrum regina caterva
Dona ferens.

Ubi Servius: »Proprie; matronae enim pilentis vehebantur ad templa surgentes: ut (VIII, 665.):

— — *Castae ducebant sacra per urbem*
Pilentis matres in mollibus.«

Qua de matronis mentione facta peplum offerentibus, non iniucundum erit, etiam vestimenta Romanorum cum iis comparari, quae in Aeneide occurrunt. Notum est, tunicam fuisse et virorum et feminarum vestem interiorem. Eadem occurrit Aen. VIII, 457., X, 314. 818., XI, 777. Notatu vero dignior est IX, 618:

Et tunicae manicas et habent redimicula mitrae.

Ad quem locum Servius affert Cic. Catilin. II, 10. Cf. Aul. Gell. Noct. Att. VII. c. 12. Stanislaus Kobierzyck. de luxu Romanorum I. c. 10. (Graev. thes. tom. VIII. p. 1320.): »Sic et Princeps Poetarum Maro, simulato nomine Romanam taxat luxuriam: *Et tunicae manicas.*« cet. Cerda ad Virg. l. l.: »Ut profecto, inquit, videatur ad hoc flagitium Poeta allusisse, et locutus ex Romano more.« Praeter stolam pallam fuisse amictum Romanorum feminarum, quis est, qui nesciat? Cf. Ferrar. de re vestiaria III, 18. (in Graev. thes. Antiquit.

R. tom. VI. p. 759.). Quis vero est, qui non agnoscat, pallam significari tanquam vestem muliebrem in pulcherrimo illo de Camilla loco XI, 576:

Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae
Tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent.

Ubi Servius: »Palla proprie est muliebris vestis deducta usque ad vestigia; unde ait *longae*.« Aptum igitur, quod est VI, 555:

Tisiphoneque sedens, palla subcincta cruenta.

VIII, 702:

Et scissa gaudens Discordia palla.

Addo hoc loco nonnulla de iis, quae ad cultum corporis elegantiorem luxuriamque pertinent. Homerica enim aetas nequaquam apparet in iis locis, ubi de veste picta (VII, 252., VIII, 26.), picturata (VII, 483.), ostro perfusa (V, 111. 133., VII, 277. 814., IX, 614., X, 722., XI, 72. 772., XII, 602.), de mitra Maeonia, de crinibus myrrha madentibus et ferro calido vibratis sermo est, v. g. IV, 216., XII, 100. De quo posteriore loco Stanislaus Kobierzyck. de luxu Romanorum l. c. 6. (in Graev. thes. antiq. R. tom. VIII. p. 1303.): »Nescio, inquit, an non concinne alluserit ad sui quoque sae-

culi mores. Princeps poeta, ubi inducit Turnum ferocem, hastam illam Actoris Auruncі spolium concutientem, simulque sese ad pugnam cum Aenea parantem: — — *da sternere* cet.

Quum vero illa de vestibus modo memorata facili nos via in officinas veterum artificum ducant, haud erit a proposito meo alienum, huc a me afferri, quae de textrina habeo. Extat enim locus Aen. VII, 14., qui explicatione sane videatur indigere: (Circe)

Arguto tenuis percurrens pectine telas.

De quo versu Heynius excursum scripsit, qui, quum initium ducat a falso principio, in sententiam non minus falsam exit. Sumit enim vir doctissimus, versum hunc translatum esse ex Homero. At si quis comparat, quem in animadversionibus affert Hom. Od. V, 62:

Ἱστὸν ἐποιχομένη, χρυσείῃ κερκίδ' ὕφαινεν·

fateatur oportet, ne uno quidem verbo consentire Graecum cum Romano poeta. Nihil enim aliud utrique est commune, nisi quod eadem actio seu occupatio, textura scilicet, significetur. Sequens igitur Heynii dictum, quod priore ista nititur sententia infirma, penitus concutitur. Quippe dicit: »Cum no-

ster versus conversus sit ex Homero: necesse est κερκίδα et pectinem esse eodem sensu dictos.« Quanquam igitur integer hic excursus omni caret fundamento, tamen, ut clarior mea fiat ratio, eum perlustrabo. Pergit Heynius: »Iam pectinem non esse posse eum, quem nostri homines appellant (Kamm), manifestum fit ex loco in Il. χ, 448. ubi Andromacho ἰστὸν ὑφαίνει, cumque exterrita esset auditis lamentis, τῆς δ' ἐλελίχθη γυῖα, χαμαὶ δέ οἱ ἔκπεσε κερκίς. Nam si nostratium instrumentum fuisset, pecten eius manu excidere non potuisset.« Recte diceret, siquidem illud instrumentum simili fuisset forma et specie atque illud, quod nos appellamus Kamm. Quod in superiori iugo nectitur, a textore adtrahitur et mittitur. Verumtamen instrumentum, quo tela densatur, illis temporibus aliud sane et prorsus diversum esse oportebat, quum veterum illorum textrina plane alia quam nostratium fuerit. Κερκὶς porro in illo loco non est Romanorum pecten, sed illud, quod Latinorum sermone radius, nostrorum Webeschiff appellatur. Sed falsa posterioris loci explicatione Heynius ex Aen. IX, 476. falso concludit, radium et pectinem unum idemque fuisse instrumentum. Quantum dif-

ferant, disertis verbis declarat Ovid. Fast. III, 819. sq.:

Illa etiam stantes radio percurrere telas
Erudit, et rarum pectine denset opus.

(Cf. Ovid. Metamorph. VI, 53—59.). Ubi radius illud est, quod nos Webeschiff appellamus; sic enim iubet sana huius loci contemplatio. Deinde vero rarum opus pectine densatur. Radium vero unum esse idemque, quod a Graecis κερκὶς appellatur, ostendit Virg. Aen. IX, 476:

Excussi manibus radii revolutaque pensa.

Pecten vero quum instrumentum sit, quo opus textorium densetur, quaeritur, qualis eius fuerit forma. Pecten nostro Virgilii loco vocatur argutum. Quum vero idem poeta serram eodem modo appellet Georgic. I, 143., Ovidius Metamorph. VI, 59. huic instrumento insectos tribuat dentes: facile quisque perspiciet, significationem huius vocabuli τεχνικὴν non differre a vulgari, quam nos tenemus, et propria. Huius scilicet dentes textor feriens agit in textile, postquam stamini subtemen additum est. Ita feriendo densat opus. Cf. Virg. Cir. v. 178:

Non Libyco molles plauduntur pectine telae.

Servius ad nostrum locum: »*Percurrens pectine telas.* Aut manu percurrens, aut ictu pectinis ut videmus *). Gaudeo denique, me quum haec omnia scripsissem, haec invenire I. H. Vossii verba in libello, qui inscribitur: Ueber des virgilischen Landgedichtes Ton und Auslegung. p. 74: »Gleich darauf (sc. Georg. I, 294., ubi idem ille versus legitur.) giebt er (Heynius), durch ein flüchtig angesehenes Citat, den Weberinnen der Alten mit wichtigem Anstand — ein kammartiges Webeschiff.«

Ac de textrina hactenus. Videamus nunc de conviviis. Quorum apud Homerum ea est ratio, ut nihil aliud simplicitatem heroicae aetatis et proprietatem magis probare videatur. Quam is sine dubio sequi debet, qui mores illius aetatis studet servare. Virgilius vero, quum eam plane neglexerit, nequaquam in id incubuisse videtur, ut verum illorum temporum habitum sequeretur. Poetam autem e Romanorum epulis omnia petiisse, vides quum ex aliis, tum e more ad

*) Isidor. Origin. XIX. c. 29. (De instrumentis vestium) §. 1: „Radii dicti, quia radendo fiunt. Pectines, quia pexa fila reddant et jungunt.“

mensas accumbendi Homericis heroibus insolito, at Romanis aevi Augustei trito. Cf. Aen. I, 79:

— — *Tu das epulis adcumbere divom.*

Quo loco, quod omnes poetae facere solent, hominum consuetudinem ad Deos transtulit Maro. Cf. Aen. I, 700. 708., VI, 605. Attamen audio iam, qui mihi duos Aeneidis locos obiiciant, quibus appareat, viros sedisse ad mensas. Alter est VII, 176:

Perpetuis soliti patres considere mensis.

Alter VIII, 176:

— — *Gramineoque viros locat ipse sedili.*

Attamen Servius iam omnem hanc difficultatem sustulit priorem locum ita explicans: »*Perpetuis mensis.* Longis, ad ordinem exaequatis sedentum. Maiores enim nostri sedentes epulabantur.« (Cf. Isidor. XX. c. 11.) Ad posteriorem locum Servius haec adnotavit: »Bene *sedili.* Nam in templo Herculis lectisternium esse non licebat.« Cf. Cerda ad h. l. Non Graecorum igitur in his duobus locis, sed Romanorum consuetudo a Marone est spectata. Virgilius enim, ut sana et pura horum versuum probat contemplatio, e ratione vere historica loquitur.

Luxuriam porro Romanorum aevi posterioris in conviviis adhibitam, quam sexcenties tangunt scriptores illius temporis, descriptam videmus copiosissime Aen. I, 697—708. et 723—748. Attamen haec singula nunc quidem ob nimiam harum rerum ubertatem et varietatem non possunt a me elaborari. Audias velim Servium ad I, 723: »*Mensaeque remotae.* Licet sub extranea persona, Romanorum tamen exsequitur morem, apud quos duae mensae erant: una epularum, altera poculorum.« ad v. 726: »*Atria.* Ut supra diximus, tangit morem Romanorum. Nam, ut ait Cato: Et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui.« ad v. 736: »*Laticum libavit honorem.* More sacrorum; et tangit ritum Romanum, qui paniceas sacratasque mensas habebant.« ad v. 737: »*Summo tenus attigit ore.* Et verecundiam reginae ostendit, et morem Romanum. Nam apud maiores nostros feminae non utebantur vino, nisi sacrorum causa certis diebus.« In cuius grammatici verba singula quamvis non audeam iurare, attamen integram harum epularum rationem Romanam esse, et ipse video, et testem habeo Ant. Franc. Gorium de libertorum columbario (in Polen. Nov. Supplem.

thesauri utriusque tom. III. p. 58.): »Servorum immensam turbam, et seculi sui magnificentiam in conviviis indigitat Virgilius Aeneid. Lib. I. v. 703. *Quinquaginta*« cet.

Unum addo, Romanorum maxime propriam fuisse mensam secundam. Quae quum memoretur a Virgilio et Georgic. II, 101. et Aen. VIII, 283., ex hoc iam consensu, etiam si nulla huius mensae nobis aliunde affluere ret scientia, non coniiciendum, sed statuendum esset, morem Romanum esse adumbratum. Quod bene vidit I. Chr. Iahn., qui posteriorem locum his explicat verbis: »Mensa secunda apponitur. Ut autem Heynio concedamus, bellaria ab heroico aevo abhorrere, poterat tamen in his poeta sui aevi morem respicere. Huc enim ducit simplex verborum ratio.« Nisi fallor in lib. I. quoque v. 723. mensa secunda innuitur verbis:

Postquam prima quies epulis.

De poculorum coronatione tam multa in diversas partes sunt dicta, ut taedium me ceperit haec augendi. Cui sententiae adhaeream, facile quisquis iam coniectura poterit augurari. Cf. III, 525.

Quae supersint alia ad vitam domesticam pertinentia, v. g. matrimonium, feminarum

conditio, puerorum educatio, servorum status, nominum ratio ceteraque huius generis partim iam ab aliis ut Romana sunt vindicata, partim vero tam varia sunt ac diversa, ut continuo quodam et brevi sermone non apte possint elaborari.

Quibus rebus non absolutis neque exhaustis, — sexcenta enim alia licet eiusdem modi proferre, — sed abruptis et relictis restat, ut rationem, ad quam haec omnia sint referenda, doceam. Ordientes ab eo, quod apud veteres summum erat, ostendere conati sumus, rei publicae formam, quae in Aeneide appareat, ab Homero diversam et e Romanorum institutis explicandam esse. Quod firmavimus adiicientes notiones quasdam iuris privati. In sequente deinde parte clarius iam et dilucidius vidimus, ea quoque, quae ad rem militarem pertineant, e Romanorum moribus esse depromta. De navibus addidimus nonnulla, quae illam nobis firmare videbantur sententiam. In tertia tum parte magna admodum rituum sacrorum, e Roma petitorum, copia nobis affluxit; tantumque abfuit, ut anxie hos ex Aeneide erueremus, ut cura

nos quaedam tangeret, quomodo rerum illarum varietatem apte disponeremus et eloqueremur. Ipsa illa, quae de funeribus subiunxeramus latius fusa, coarctavimus et ad pauca revocavimus momenta. Quartam denique partem fecimus e vita domestica mores quosdam delibantes, probe tamen intelligentes, hanc praecipue augeri et ampliari posse. Quum vero republica, disciplina militari, religione, vitaque domestica omnes, quotquot sunt, quasque poeta aliquis potest respicere, vitae rationes comprehendantur, hae autem omnes per integram Aeneidem ad Romanos mores sint adumbratae: necessaria consecutione efficitur, totum hoc carmen Romano tantum morum habitu ornatum esse. Ac si singula legentes forte non movent, universa certe tamen inter se connexa et coniuncta eos moveant oportet, ut nobiscum perspiciant, ad explicandam Aeneidem opus esse inprimis scientia accuratiore et copiosiore Romanarum, quas vocant, antiquitatum. Quae lucem et afferunt Virgilio, et accipiunt a poeta hoc doctissimo et diligentissimo.

Attamen in alios quoque scriptores fructus huius quaestionis manare mihi videtur.

Eadem enim, quam de Virgilio in medium protuli, de aliis quoque poetis epicis erit proponenda v. g. de Statio; sed non solum de epicis, verum etiam de tragoediarum scriptoribus iis, qui fabulas antiquas elaborandas sibi sumserunt, quorum solus ad nos pervenit Seneca; postremo de comoediarum scriptoribus earum, quae palliatae vocantur, Plauto igitur et Terentio.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM DISSERTATIONE

DE MORUM IN VIRGILII AENEIDE HABITU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE

FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA

PHILOSOPHORUM ORDINE IMPETRANDOS

DIE XVI. MENSIS IANUARII MDCCCXXXVI

INDE AB HORA ANTEM. X.

PUBLICE DEFENDET

I. H. LAURENTIUS LERSCH

AQUISGRANENSIS.

OPPONENTIBUS:

P. W. Mosblech, Phil. Stud.

Aug. Schmölder[illegible] Orient. Stud.

I. *Virgilius Aeneidem ad Romanos tantum bravit mores.*

II. *Cicero a vulgari popularium suorum op de primis Romae regibus recessit.*

III. *Plurima, quae sub Anacreontis nomin runtur, carmina spuria sunt.*

IV. *Philologiae pars est scientia iuris Roma*

V. *Loci Aeneidis II, 254—260. et VI, 740— una eademque ratione sunt mutandi.*

VI. *Verbum obscenus apud Virgilium nunqu tetrum aliquid, sed infaustum et prodigiosi significat.*

VII. *Motus, quem vocant absolutum, non exta*

VIII. *Catullus carmen de incantamentis no scripsit.*

IX. *Manilius Augusto regnante vixit.*

X. Οὐδὲν ἔστιν ὄνομα τὸ δείς.

VITA.

Natus sum Aquisgrani die decimo sexto mensis Iunii anno MDCCCXI patre I. A. Iosepho Lersch, matre Gertrude Dupont, qui in hunc usque diem vita ac luce gaudent ambo. Fidem profiteor Catholicam. Primis literarum elementis domi eruditus in Gymnasium receptus sum Aquisgranense puer undecim annorum. Ex quo anno MDCCCXXVIII demissus primum maturitatis testimonium nactus sum, ac per integrum exinde annum ad altiora me praeparavi studia. Quo anno finito adscriptus sum in civitatem almae Academiae Rhenanae a Rectore Magnifico viro nobilissimo Cl. a Droste-Huelshoffio. Quum antiquis literis operam dare iamdudum mecum statuissem, per duos hic annos et dimidium viros clarissimos Brandisium, Delbrueckium, Heinrichium, Huellmannum, Naekium, Niebuhrium, Ritterum et Welckerum frequentavi.

Berolinum deinde petii vere anni MDCCCXXXII incipiente, ubi Rectori Magnifico viro illustrissimo

Marheineckio dextram iurisiurandi loco dedi. Per annum ibi viros clarissimos Boeckhium, Lachmannum, Carolum Ritterum, Wilkenum, alios audivi. Per semestre vero spatium, postquam nomen apud facultatem iuridicam sum professus, viros illustrissimos Eichhornium, Lancizollium, Savignium habui docentes.

Auctumno denique anni insequentis Bonnae redditus ad illa me denuo retuli studia, quae animo retenta haud longo intervallo omiseram, eaque in hunc usque diem summa cum voluntate amplector. Praelectionibus interfui virorum clarissimorum Brandisii, — a quo illius anni Rectore Magnifico illas, quibus cives Academiae cognoscuntur, litteras accepi, — Diezii, Heinrichii, Hollwegii, Loebellii, Naekii, a Schlegelii, Welckeri, Windischmanni, aliorum.

Quibus omnibus viris doctissimis, illustrissimis, per sex amplius annos optimè de me meritis, ex intimo animi affectu gratias habeo, ac per omnem habebo vitam maximas.

PROGRAMMA

QUO AD

EXPLORATIONES

DISCIPULORUM SEMESTRES

ET

ALIQUOT ADOLESCENTUM

DECLAMATIONES

IN

SCHOLA NICOLAITANA

DIEBUS XXVII. XXVIII. ET XXIX. M. SEPT.

AUDIENDAS

RITE INVITANT

RECTOR ET COLLEGAE.

Praemissa est ALBERTI FORBIGERI, *D. phil. in acad. privati et scholae Conrectoris, Commentatio de quibusdam Virgilii locis cum specimine novae editionis Aeneidos.*

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, D.

1836

Virgilianorum carminum ab me editorum parti primae nuper in lucem emissae *) quum longius prooemium praeponere nec meae nec redemtoris honestissimi rationes siverint, sed tertio potius et ultimo volumini reservari iusserint, hac libelli scholastici scribendi opportunitate praeter exspectationem oblata ita mihi utendum esse videbatur, ut, priusquam de singulis quibusdam Virgilii locis dissererem et Commentarii in Aeneidem conscripti specimen exhiberem, de ipso consilio meo et editionis nondum multis cognitae ratione cum peritis harum rerum arbitris pauca communicarem. Ac si negari nequit, nostra potissimum tempora multos vidisse viros doctos, qui pro innata quadam arrogantia et superbo fastidio in edendis veterum scriptis ita sibi versandum esse statuerent, ut spretis et neglectis iis omnibus, quae in eodem scriptore explicando alii iam ante praestitissent, suam modo sapientiam legentibus venditarent, et quum unum modo alterumve scriptoris alicuius locum ingeniosa, quae sibi videretur, coniectura emendare vel meliore explicatione iuvare se posse opinarentur, statim novam eius editionem adornare decernerent; mihi quidem de literis earumque cultoribus optime mereri illi videntur, qui, ne ingenti editionum numero nostrarum literarum studium indies difficilius reddatur et sumptuosius, veterum scripta denuo edentes eam ingrediuntur viam, ut etiam priorum editionum omnium bona in suas transferentes, quum omnium, quaecunque ad scriptorem aliquem vel emendandum vel explicandum adhuc collata sint, brevem conspectum praebeant, tum literarum studiosos magnae librorum supellectilis coemendae necessitate liberent.

Iam vero etsi permultas habemus Virgilii editiones, interque eas laude et praedicatione dignissimas, desiderabatur

*) P. Virgilii Mar. Opera, ad optimor. libror. fidem edidit, perpetua et aliorum et sua adno[illegible]t, commentationem de vi[illegible] carminibusque Virgilii et [illegible]rios adiecit A. F. Par[illegible] Bucolica et Georgica. Li[illegible]chs. 1830. 8. mai.

tamen adhuc editio non nimis ampla et parvo parabilis, quae, recentioribus elegantiorum literarum profectibus, qui quanti fuerint ne tirones quidem fugit, accommodata, optimas quasque et cognitione dignissimas priorum editorum adnotationes ita in unum coniunctas contineret, ut, quae ab illis vel prorsus neglecta, vel obiter tantum commemorata essent, prudenter suppleret et augeret, variasque eorum sententias, saepe in partes prorsus diversas abeuntes, breviter examinando vel comprobaret, vel reiiceret et veriora iis substitueret. Atqui, ut antiquiores commentatores et editores, Servium, Philargyrium, Pierium, Guellium, Pontanum, Cerdam, Heinsium, Ruaeum, Catroeum, alios taceam, quantum lucis inde a Burmannorum maxime temporibus horum ipsorum, Heynii, Wakefieldii, Brunckii, Schirachii, Vossii, Mansonis, Wunderlichii, Iahnii, imprimisque Wagneri, Viri doctissimi et de Virgilio immortaliter meriti, curis et studiis poetae nostro allatum est! Quorum tamen virorum omnium commentarios amplissimos et locupletissimos accurate perlustrare et ex multa arena pauca interdum auri grana colligere, quantum operae et laboris requirat, non est quod usu expertos doceam, praesertim quum vel optima illarum editionum, Heyniana, ab Wagnero repetita et aucta, legentium commodo adeo non prospiciat, ut, quae arcte coniuncta esse debeant, per adnotationes, per varias lectiones, per excursus, per quaestiones additas dispersa et distracta, tribus vel quatuor locis multo cum sudore colligenda sint. Quare qui vel hoc unum prudentis collectionis negotium subierit, iure suo aliquam videtur exspectare posse gratiam et comprobationem. Sed in eo nemo acquiescet, cui bonae artes curae cordique sint, quique ipse aliquid procreandi et ad communem utilitatem conferendi facultate se praeditum sentiat. Multa enim addenda et supplenda, multa refutanda et corrigenda esse, facile intelliget, imprimis quum priores editores, si Wagnerum exceperis, tantum non omnes in sola rerum et verborum explicatione occupati, grammaticas rationes fere prorsus neglexerint, maximeque particularum veras significationes vel ignorantes vel despicientes in multis locis interpretandis graviter erraverint. Itaque quum eiusmodi editionis curandae consilium cepissem, quae, quantum fieri posset, omnia complecteretur iuveni literarum studioso ad Virgilium recte intelligendum et cum fructu legendum necessaria, id pri[redacted]i respiciendum duxi, ut sensum cuiusque loci [redacted]e a memet ipso recte et accurate explicatu[redacted] si quis priorum editorum locum aliquei[redacted] interpretatus videbatur,

eius adnotationem, plerumque ipsius verbis servatis *), repetii, ita ut ipse aut nihil omnino adderem, aut verbo tantum sententiam eius probarem, ubi vero varias sententias propositas invenissem, omnes, quae non prorsus ineptae essent, breviter diiudicarem, et si nulli earum calculum meum adiicere possem, ipse novam aliquam interpretationem tentarem. Quod si rarius omnino factum est, quam exspectaveris, effecit hoc Wagneri eximia solertia et sagacitas, quae, quum subtili doctrina, tum diuturna et indefessa Virgilii lectione adiuta, paucos modo locos ita tractatos reliquit, ut alia et veriore explicatione indigeant; quamquam non omnino deesse eiusmodi locos, et volumen primum editionis meae, et quae infra prolaturus sum Aeneidis exempla probabunt. Tum singula cuiusque loci verba respiciens, praeter res ad mythologiam, geographiam, historiam et rerum gestarum et naturae pertinentes, imprimis poeticum scribendi genus et Virgilianum dicendi usum, resque grammaticas et metricas adnotatione mea illustrare studui. Cuius quidem operis quamvis idem ille Vir excell. Quaestionibus Virgilianis doctissimis, ingentis vereque admirabilis diligentiae et patientiae documentis, quas praeter quaedam nimis subtilia et parum fructuosa longe plura continere vidi egregia et utilissima, magnam, immo maximam iam partem occupaverit, nihilominus eiusmodi quoque ob-

*) Erunt fortasse, qui me *Heynii* quoque adnotationes haud raro ad verbum transscripsisse, eiusdemque Viri celeberr. Argumenta et Prooemia repetenda curasse vehementer vituperent, quum satis constet, huius viri ceteroquin egregii Latinitatem non talem esse, quae iuvenibus orationis formandae exemplum proponi commendarique possit. Sed quamquam me non fugit, *Heynii* scholiis permultas adspersas esse maculas neutiquam excusandas, quarum indicem adiiciendi labore me liberavit doctiss. *Weickerti* sedulitas (in Programm. adnott. in Aeneidos libros II priores continente, quod Luccaviae 1834. 4. prodiit); eo magis tamen religio mihi fuit talem virum quavis fere pagina castigare et soloecismi convincere, quo minus alii, qui nunc veteres scriptores Latino sermone illustrare conantur, a similibus peccatis abstinent, ut, qui iuvenes a Charybdi retinere velit, quominus in Scyllam incidant, prohibere nequeat. Praeterea haec editio iam maturiori aetati destinata est, quae pura et ornata a sordidis et horridis distinguere et ipsa barbarismos et soloecismos cavere didicerit; quare, quum *Heynii* sententiae saepe non nisi ipsius verbis commode reddi posse viderentur, *Wunderlichii* et *Wagneri* exempla secutus, gravissimos modo errores tacite sustuli, leviores intactos reliqui. Iuvenes tamen, bonae Latinitatis studiosos, ne illam ex recentiorum virorum doctorum commentariis, omnium minime vero ex *Heynianis* discere velint, iterum iterumque hortor.

servationum non paucas a me additas esse, neminem latebit, qui commentarium meum attento animo et acrioribus oculis perlegerit. Immo anne in alteram potius partem modum excedens multo plura, quam opus erat, adnotaverim, subinde me incessit dubitatio. Praevideo enim, non defuturos, qui vanam doctrinae multaeque lectionis ostentationem mihi exprobrantes, de locis parallelis et exemplis, quae usum aliquem probarent, deque virorum doctorum, qui super hac vel illa re grammatica accuratius disputaverint, auctoritatibus nimis frequenter adhibendis mecum expostulent; spero tamen, fore etiam, qui hanc meam rationem probent et collaudent, secum reputantes, in librorum philologicorum, quos vocant, ingenti copia, qua nostram aetatem obrutam potius quam gaudere dicas, iis quoque prospiciendum esse invenibus, quibus ex pluribus, qui vel eundem usum sequuntur, vel de eadem re scripserunt, unum modo alterumve conferendi occasio suppetat. Quare non vanam quandam laudem et gloriam, sed veram iuvenum literis operantium utilitatem me spectasse, aequus laboris mei censor facile sibi persuadebit. Qui enim nullam nisi ingenii felicissimi et multae ac reconditae doctrinae laudem affectat, is profecto non Virgilium sibi edendum eliget, poetam toties iam editum et explicatum, neque critico acumini latum, in quem exspatietur, campum aperientem, sed Aeschylo, Pindaro, Aristophani, Plauto, Varroni horumque similibus emendandis et interpretandis, vel fragmentis veterum scriptorum atque inscriptionibus antiquis eruendis et explicandis operam navabit. Eiusmodi ego laudem aliis, qui me sunt ingeniosiores et doctiores, non invideo, dummodo studium et diligentia in me non desideretur, atque editio mea vero iuventutis literarum studiosae commodo inservire iudicetur.

Inde etiam factum est, ut criticas quaestiones non instituerem, nisi ubi hoc vel vulgaris lectionis aliqua mutatio et ipsa sententiarum explicatio flagitaret, vel iuvenum ingenia exercendi et acuendi opportunitas suaderet, omnem vero leviorem lectionis varietatem prorsus negligerem, et singulis Codicibus, qui hanc vel illam lectionem tuerentur, enumerandis et ponderandis non minus supersederem, quam plerisque virorum doctorum coniecturis, haud raro inanibus illis et temerariis, recensendis. Omnes enim sciunt, arti criticae factitandae Virgilii carmina non admodum largam praebere copiam, quum, licet ingens Codicum numerus inveniatur, si paucos exceperis, Mediceum, fragm. Vaticanum, Gudianum Guelpherbyti, Menteliarum I. et II. Parisiis, ac Moretanum I. Antverpiae asse[illegible], si placet, Roma-

num et Palatinum addas, quamquam hi quoque non tantae sunt, quanta vulgo iis tribuitur, auctoritatis, ceteri omnes minoris sint pretii et maximam partem non digni, in quibus conferendis tempus operamque perdas *); illi autem in plurimis locis ita conspirent et concinant, ut vulgatam lectionem deserere vel coniecturis vexare prorsus ineptum esset ac temerarium. Quae quum ita sint, nos in ipsis poetae verbis constituendis et emendandis a Wagneri recensione, quae Medicei maxime auctoritate fundata est, admodum raro recessisse, nemo mirabitur, quamquam contextum, quem vocant, bonum et emendatum, non minus a librariorum peccatis et editorum inanibus coniecturis, quam a typothetarum erratis vacuum praebere, primam debere cuiusque editoris curam esse, non est quod doceam.

Verborum scribendorum sive orthographiae eam retinui rationem, quae nunc vulgari usu recepta est, etsi Codices, imprimis Mediceus, qui fere solus hic in censum venit, haud pauca continent alius i. e. antiquioris orthographiae vestigia **). Alia est enim Virgilii, alia e. g. Lucretii causa, de

*) Recentiorum quoque virorum doctorum laboribus, qui Virgilii Codices antea nondum collatos pervestigarunt, *Potterii* (Paris. 1823.), *Ialnii* (Lips. 1825.), *Iaeckii* (Vinariae 1826.), *Dorphii* (Havniae 1829.), *Orellii* (in Epistola crit. ad Madvigium scripta, quam praeposuit editioni Cic. Orat. Brut. cett. Turici 1830. in lucem emissae p. LXIV. sqq.), *Silligii* (edit. Wagn. Vol. IV. Lips. 1832.), *Wagneri*, aliorum, non multum nos lucratos esse constat. Quare non tam novi Codices anxie quaerendi et perscrutandi, quam meliores illi, a prioribus editoribus, imprimis *Heinsio*, admodum negligenter inspecti, denuo studiose perlustrandi videntur. Nam praeter unius Medicei, quem *Fogginius* et nuper demum *Freytagius* accurate contulerunt, ceterorum omnium lectiones magis minusve sunt dubiae.

**) Inter multa alia, quae Codices praebent, antiquioris orthographiae exempla haec mihi adnotavi, ex quibus quae quum aliis rationibus tum librorum auctoritate commotus in contextum recipienda existimaverim, diductis typis describenda curavi: *Erinys* (vid. adnot. ad Aen. II, 337.), *sucus* (cf. adnott. ad Ecl. III, 6.), *Parnasus*, *Parnasius* (vid. adnot. ad Ecl. VI, 29.) *Britanos* (quod Ecl. I, 68. Fabricii Codd. exhibent), *baca* (Ecl. X, 27. et alibi Med.) *alia* (Ecl. II, 11. Pierii Codd.) *Cusandra* (Aen. II, 343. Heins. Codd.) — *subicit* (Ecl. X, 74. Med.) *dissice* (Aen. I, 70. Med.) *dbisse*, *petisse* (Aen. II, 25. Rom. Menag. I. all.) *aspice*, *aspectu* et similia (Aen. I, 526. 613. al. Med. et alii) *cluditur* (Aen. I, 233. Gud.) — [*Esperus* (Ecl. X, 77. Med.) *Emi* (pro Haemi, Ge. I, 492. Med.) *umidus* (Aen. II, 8. 605. et ubique Med.) *umectat* (Aen. I, 465. et al. Med.) *harena* (Aen. I, 106. 540. et al. Med.) *Rebenum* (Ge. I, 117. Med.) cett.] — *Iuppiter* (Ecl. VII, 60. Ge. I, 418. et ubique Med.) *Mezentius* (Aen. VIII, 7. Rom. Vid. Wagn. ad Aen. II, 763.) *dammas* (Ge. [illegible] *relligio* (Aen. II.

cuius in hoc genere ratione egimus in Praef. editionis nostrae p. X — XXIII.; neque omnia, quae ille caseae et obsoletae orationis imitator ex Naevii, Ennii, Pacuvii aetate arripuit, in politissima et nitidissima Virgilii carmina transferri possunt. Qua in re omnium longe difficillima quum summa cautione et circumspectione versandum esse quisque videat, ab eiusmodi editione, non viris doctrina iam excultis, sed iuvenibus ad doctrinam nitentibus destinata, spinosas et

---

Leid.) *relliquiae* (Aen. I, 30. et al. Pal. Leid.) *reppuli* (Aen. IV, 214. et saepius Med.) *rettuli* (Aen. V, 598. et al. Med.) *obtunsa* (Aen. I, 567. Med. Rom.) *retunso* (Ge. II, 301. Med. aliique), *quotiens* (Ecl. III, 72. et ubivis Med.) *toiens* (Ge. I, 488. et ubique idem Med., Aen. I, 407. etiam fragm. Sangall. ab Orellio collatum), *thensauros* (Aen. I, 359. Med. Vat.) *coniunx* (Aen. I, 343. et al. Med.) *pertemptant* (Aen. I, 502. Med.) *temptat* (Aen. I, 721. Med. Sangall.) *cincxere* (Aen. I, 398. Sang.) *quinctam* (Ge. I, 277. Med.) *exegmina* (Ecl. IX, 30. Med.) — *adtractare* (Aen. II, 719. Rottend. II. Franc. all.) *obcumbere* (Aen. II, 653. Zulich.) *abvellere* (hoc enim sibi velle videtur lectio Menag. *advellere* Aen. II, 165. Cf. Quinct. XII, 10, 32.) *adgnovit*, *adgnoscunt* (Aen. I, 488. II, 423. al. Med.) *derige* (Aen. I, 401. Vat. Gud. Rom. Sang.) *devellere* (Aen. II, 220. Ment. I. Moret. I. all.) *trantiecta* (Aen. I, 273. Menag. II. Goth. I.) *inpositus* (Ge. II, 540. Med.) *inplevit* (Aen. I, 716. Sangall.) *inrigat* (Aen. I, 692. et al. Med. Sang.) *inruimus* (Aen. III, 222, et al. Med. Sang.) *conplexus* (Aen. II, 214. Hamb.) — *Vergilium* (Ge. IV, 563. Med. Rom. Sang. all.) *genetrix* (cf. adnott. ad Ge. IV, 363.) *Camellos* (Ge. II, 169. Med.) *decim* (Ecl. III, 14. Rom.) *obstipuere* (Ge. IV, 351. Aen. II, 120. al. Med. Sangall.) *pluxuma* (Ecl. VIII, 96. Med.) *quadripes* (Ecl. V, 26. et alibi plures Codd., semel etiam Med., Aen. XI, 714., sed i supra scripto) *scaena* (Aen. I, 164. 429. al. Med.) *saepsit*, *saeptus*, *saepes* cett. (Aen. I, 411. 439. Ecl. I, 54. al. Med.) *paeniteat* (Aen. I, 549. Med.) *caelum* (Aen. I, 88. et ubique Med. et Sangall.) *olli* (vid. adnott. ad Aen. I, 254.) *incortant* (Ge. I, 66. Med., sed litera e supra adpicta) *volgus* (Aen. I, 190. et al., sed non ubique, Med.) *volgata* (Aen. I, 458. Med.) *convolsus* (Aen. I, 383. Med.) *avolsus* (Aen. II, 558. Med.) *Volcani* (Ge. IV, 346. Sang. Aen. II, 311. Pal. Leid.) *Arctom* (Ge. I, 138. Med.) *laevom* (Aen. II, 693. Gud.) *longaevom* (Aen. II, 525. Gud.) *torgent* (Ge. I, 315. Mentel.) *haut* (Aen. I, 387. III, 207. 214. al. Med. et Sang.) *set* (Aen. I, 61. 139. al. Med.) *quit* (Aen. VI, 694. Sang.) *adque* (pro atque, Aen. I, 389. 687. Sang.), *lassa*, *labsu* (Aen. I, 394. III, 225. Sang.) *supterlabere* (Ecl. X, 4. Med.) *hirquis* (Ecl. III, 8. Codd. Pierii) *secuntur* (Aen. V, 185. 747. al. Med.) *arbos* (Ecl. III, 56. Ge. II, 57. et ubique Med.) *hanos* (Ecl. II, 53. V, 78. et ubivis Med. Cf. adnott. ad Ge. III, 118.) *setius* (Ge. II, 277. Aen. V, 862 al. Med. Gud. Mentel. I. II. all.) *dicio* (Aen. I, 236. et alibi Med. Vat. all.) *condicio* (Aen. XII, 880. Med.) *Karthago* (Aen. I, 13. et alibi Med. aliique.) [*Barus* (Ecl. IX, 26. 27. Med.) *olibae* (Ge. II, 3. Med.) *sivi* (pro sibi, Aen. V, 28. Sang.) *spectavis* (Ge. I, 158. Med. Cf. Wagn. ad Ecl. II, 15.) cett.] *annost* (Ecl. VII, 43. Med. supra s[illegible]t quae sunt similia.

taedii plenas disquisitiones orthographicas neminem postulaturum puto. Qui talia cupiunt, his, si Diis visum fuerit, satisfaciet doctus. Wagnerus, qui sese professus est emissurum esse editionem „Virgilii Operum ad pristinam orthographiam, quoad eius fieri possit, revocatorum," quam omnes antiquarum literarum studiosi mecum cupide exspectant. Longe gravior res est iusta et idonea verborum distinctio, qua nihil magis ad singulos scriptorum locos recte et facile intelligendos conferre, inter omnes constat. Et in hac quidem re ego, non curans priorum editorum rationem, quae plerumque verba nimis multis interpungendi signis onerat, et ita impedit magis et perturbat, quam iuvat et faciliorem reddit lectionem, idemque abhorrens a recentiorum quorundam nugis, qui omnes fere distinguendi notas exsulare iubent, meam viam secutus sum, mediam illam inter nimium et parum, qua non admodum multa distinctione, sed apto loco facta, legentibus optime consultum esse statuerem *).

*) Ut rem exemplo proposito demonstrem, adscribam primos Aeneidos versus, quos infra interpretatus sum, et *Heyniana* ratione (quam plerumque sequitur *Wagn.*) et mea distinctos:

HEYN.

Arma, virumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinia venit
Litora; multum ille et terris iactatus et alto,
Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram;
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres, atque alta moenia Romae.
Musa, mihi causas memora, quo numine laeso,
Quidve dolens, regina deum tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit; tantaene animis coelestibus irae!
Urbs antiqua fuit; Tyrii tenuere coloni;
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli: cett.

FORB.

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Laviniaque venit
Litora; multum ille et terris iactatus et alto
Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram;
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem
Inferretque deos Latio: genus unde Latinum
Albanique patres atque alta moenia Romae.
Musa, mihi causas memora, quo numine laeso
Quidve dolens regina deum tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit. Tantaene animis coelestibus irae?
Urbs antiqua fuit — [illegible] coloni —
Carthago, Italiam c[illegible]e longe
Ostia, dives opum [illegible]ua belli; cett.

Iam si quaeritur, in quorum maxime commodum hanc meam editionem adornaverim, eam scholarum publicarum usui non esse destinatam, vel ex iis facile apparebit, quae modo disputata sunt. Gymnasiorum enim discipulis aut editiones tradendae sunt vel commendandae, quae, nullis prorsus adnotationibus instructae, nihil nisi puram et emendatam scriptoris orationem exhibeant, id quod fortasse omnium est saluberrimum, aut brevibus modo scholiis et summa prudentia selectis conscriptisque praeditae, quae studium legentis non retardent, sed adiuvent, ingenium non hebetent et comminuant, sed acuant et excitent, ideoque difficillima modo et quae puer vel cogitando, vel subsidia sua consulendo ipse invenire non possit, paucis verbis illustrent, nec praeceptori, qui optime scire debet, quid discipulis suis conducat, omnia praeripiant; ne multa, tales, quales etiamnum inter pia desideria referendas dixerim. Quot enim libros habemus, qui attingant imaginem illam editionis scholasticae omnibus numeris absolutae et perfectae, quam animo tibi finxeris? quamquam hac penuria nos laborare, nemo facile mirabitur, qui, quantum haec res difficultatis habeat, animo secum reputaverit. Promisit tamen nuper talem quoque Virgilii editionem doctiss. Wagnerus *), de qua, si formam illam et effigiem editionis in scholarum usum conficiendae, quam ipse egregie descripsit, strenue servaverit, quod sane difficillimum censeo **), optima quae-

*) Vid. Epistola eius ad Groebelium Virum excell. data, quae cum specimine novae editionis operum Virgilii hoc ipso anno Dresdae prodiit, p. 14. sqq.

**) Quam difficile sit hac in re id, quod ratione cognitum et perspectum habemus, usu comprobare, Wagnerus ipse ostendit specimine novae, quam parat, editionis epistolae illi adiecto, in quo egregiis illis, quae ipse proposuit, de curanda eiusmodi editione praeceptis neutiquam ex omni parte satisfecit. Quare, etsi nolo Viri praestantissimi censorem agere, ad pauca tamen eum attentum facere liceat, quod pro humanitate sua facile mihi condonabit. Epistolae illius p. 14. sic scribit Vir. doctiss.: „Quidquid igitur ipse invenire puer facile posse videbatur, ipsi inveniendum reliqui; interpretatus sum ea, in quibus haerere eum posse existimarem; sed id ipsum saepe ita feci, ut satis putarem, digitum quasi ad verum videndum intendere.“ Quomodo vero cum hoc proposito conciliari possunt eiusmodi adnotationes, ut v. 9. „*mundo*, orbe terrarum,“ v. 20. „*ridenti*, coloris pulchritudine oculos delectante,“ v. 24. „*herba veneni*, herba venenata“ et similes? Nonne haec aut prorsus omittenda erant, aut ita tantum commemoranda, ut adscriptis locis similibus, vel qui eundem us[illegible] [illegible]que scriptoribus familiarem esse probarent, discipu[illegible] amplius quaerendi invitamentum proponeretur? P[illegible]bis *deorum soboles*

que licet sperare; quare nihil magis est in votis, quam ut Viro doctissimo et diligentissimo, omissa interim maiore illa editione critica et pristinam orthographiam revocante, quam primum hanc perficere placeat, utque valetudo prosperrima hoc eius propositum iuvet. Nostra certe editio cum ea non certabit; quam iis iuvenibus destinavimus, qui paullo maturiores et provectiores in literis, neque nunc primum ad poetarum lectionem accedentes, Virgilio, fortasse iam ex scholis publicis in universum sibi cognito, privatim accuratius legendo operam suam addicere, neque in eo acquiescentes, ut poetam intelligant, etiam alias quaestiones de rebus grammaticis et metricis, de usu loquendi, de poetica dictione a pedestri recedente, de imitatione posteriorum poetarum et quae sunt similia cum eius lectione coniungere decreverint. Quare vel praeceptoribus nonnullis, quibus non magna librorum copia ad manus est, editionem meam non prorsus ingratam et inutilem futuram spero, quamquam plurima, quae continet, non magistris, sed discipulis, non viris doctis, sed iuvenibus ad literas incumbentes scripta sunt. Scholis vero publicis nihil inde metuendum esse, qui vel obiter eam inspexerit, nullo negotio intelliget; tam amplus est enim commentarius omninoque ita comparatus, ut discipulis in ipsis scholis ad prompte respondendum evocatis nullam fere utilitatem adferre possit; quo si qui domi de loco aliquo mox publice pertractando meditantes uti velint, id nullum fore magistrum qui reprehendat vel dissuadeat, certissime confido.

His de consilio meo et de ipsius editionis ratione simpliciter expositis, superest, ut fidem supra datam exsolvens doceam, ne per Wagneri quidem editionem, omnium, quae adhuc in lucem prodierunt, longe praestantissimam, novam huius poetae recensionem et interpretationem prorsus supervacaneam esse redditam. Itaque omissis iis locis, qui iam a doctiss. Weickerto in Programmate supra laudato *) et a

---

tam longa observatio adiecta, quum aliae res et ipsae difficiliores silentio praetereantur, velut v. 8. *nascentis*, v. 11. *adeo*, v. 31. *fraus*, (v. 42. *suave rubens*), v. 46. *Talia secla currite*, v. 54. *sat erit dicere* cett.? Omnino Virum excell. rerum grammaticarum (v. c. v. 52. *adspice*, *ut* c. indic. constructi) minorem, quam opus erat, rationem habuisse censeo, neque talibus adnotationibus aegrius carere fateor, quam periphrasticis illis sententiarum explicationibus, quae partim certe supervacaneae videntur. V. 41. rectius fortasse editum esset *robustis* (tauris) pro *robustus* (arator). Vid. adnot. mea ad h. l.

*) Qui Vir d[illegible] acissimus recte mihi vid

memet ipse in Commentarii specimine infra addito *) tractati sunt, aliquot locos ex tribus prioribus Aeneidos libris decerptos, quos Wagnerum minus recte explicuisse existimem, breviter percensere conabor.

Aen. I, 518. non possum adsentiri Iahnio et Wagnero, qui vulgarem scripturam *cunctis* (navibus) deserentes ediderunt *cuncti*, ita tamen ut Iahn. coniungeret *cuncti nam lecti navibus ibant*, hac addita explicatione: „hi omnes a navibus suis lecti erant, et ibant etc.," Wagn. autem, bene sentiens, quantopere aures laederentur verbis *cuncti nam lecti*, maiore distinctione post *cuncti* posita, qua iniucundus sonus evitaretur, vel certe leniretur, haec cohaerere statueret: *Quid veniant cuncti*, i. e. quid veniant, et cuncti quidem. Primum Codicum auctoritatem spectemus. Lectioni *cunctis* favent fragm. Vat. a m. sec., Mentel. I. II., Moret. I. II., fragm. Moret., duo Rottend. a m. sec., Lips. obl., alii, quorum plures supra ad praestantissimos libros referendos esse vidimus; *cuncti* exhibent Medic., Rom., fragm. Vat. a m. pr. et quatuor Paris., Serv. et Donat. Sed in Med. interpungitur et ante et post *cuncti*, quod tantum abest, ut Wagneri rationem iuvet, ut mihi quidem vulgari scripturae quam maxime opitulari videatur. Quid enim? Nonne distinctio ante *cuncti* posita clare ostendit, librarium non nisi verba *Quid veniant* coniungi voluisse? quod autem post *cuncti* positum apparet interpunctionis signum, nonne hoc ortum videri potest ex litera finali *s* in archetypo minus distincte et evidenter scripta? in quam quidem opinionem facillime incidet, qui Mediceum alibi plerumque cum Mentelianis et Moretanis libris conspirare meminerit. Quare si a dubio Medicei testimonio recesseris, Codicum auctoritas, nisi vulgatae scripturae magis patrocinari, certe utramque aequabiliter tueri censenda est, praesertim quum vel particula *nam* postposita (in qua non haerendum esse, ad Ecl. IV, 61. docuimus), vel voc. *lecti* vicinitas librarios, ut *cunctis* in *cuncti* mutarent, facile movere potuerit. Nunc de ipsa sententia dicendum. Quis autem non videt, si Wagneri opinio vera esset, Virgilium ita scripsisse, ut verbis *nam lecti navibus ibant* post illa *Quid veniant cuncti* contradictio, quam vo-

---

casse de locis I, 365. 393. sqq. II, 200. et 322., in quibus ego quoque Wagnero adstipulari nequeo.

*) Ubi etiam quae *Graserus* in Censura illa, quamquam interdum paullo acerbius et Wagn[illegible]octrinae et diligentiae, tum pietati et humanitati paru[illegible] scripta, contra eum protulit, maximam partem

cant, in adiecto inesse videatur, quum, praegressis verbis *classem quo litore linquant*, nemo haec legens *Quid veniant cuncti* aliter intelligere possit, quam de toto classiariorum numero? Tum neque illud, quod *lecti erant navibus* causam continet, cur *cuncti* veniant, neque hoc quaerunt socii, quid cuncti, non singuli, veniant, sed omnino cur classe relicta huc accedant, et ita quidem, ut ex una quaque nave lecti appareant viri; nam hoc tantum, quod legati a quavis nave pari haud dubie numero delecti veniunt et certo festoque ordine, bini fortasse, progrediuntur, necopinae et mirae rei speciem praebet, qua Aeneas eiusque comites insolitum quoddam et singulare exspectare iubentur. Unde non aliter nisi hoc epitheto addito, *cunctis navibus lecti*, haec iustam priorum continere causam, facile perspicitur.

Non minus in coniungendis verbis, quae seiungenda erant, errare videtur Wagnerus II, 690., ubi vulgarem rationem, ex qua locus sic distinguitur: *Adspice nos: hoc tantum* (scil. abs te peto) admodum languere iudicans, uno tenore scripsit: *Adspice nos hoc tantum*, his verbis adiectis: „i. e. hunc tantum adspectum nos adspice; de quo loquendi genere dictum est in Not. ad III, 56.; sive: omnis Troianorum fortuna quum corruerit, hanc tantum eius partem adspice;“ quam adnotationem si recte intelligo, verba *hoc tantum*, pronomini *nos* per appositionem addita, Vir doctiss. ita vult accipi, ut significent: tam parvas et miseras populi olim adeo potentis et felicis reliquias. At primum ex usu loquendi demonstrandum erat, hoc verbis illis latine dici posse; nam quae Wagn. ad libri III. l. l. disputat de formulis notissimis *pugnam pugnare*, *gaudium gaudere* et similibus, unde etiam talia, ut *quid gaudes*, *id hortor*, *id cogo*, et adiectivorum neutrius generis pro adverbiis positorum usum, *crebra ferire*, *multum falli* cett., explicare studet, ea quomodo ad h. l. quadrent, equidem fateor me non perspicere. Deinde hic non quaeritur de eo, utrum pauci an multi Troiani ex communi clade evaserint, sed universa eorum miseria et calamitas spectanda est, qui quid faciant, quo se vertant, ubi perfugium quaerant, nesciunt. Quare hoc unum cupit Anchises, ut se adspiciat Iupiter, quum misericordiae movendae hic unus adspectus plane sufficiat. Precatur igitur: *Adspice nos!* addens *hoc tantum*, quod non tam cum reliquis editoribus explico: hoc tantum abs te peto, quam sic potius: hoc tantum dico (collato loco Aen. IX, 636., ubi finitis Ascanii precibus adduntur verba *Hoc tantum Ascanius*, scil. dixit, precatus est): [illegible] sensus: non opus est longis
sufficit hoc [illegible] adspicias, adspectus

clarius loquetur, quam verba nostra poterunt. Loco ita intellecto quid languidum et absonum insit, non video. Abruptius autem loqui Anchisen, si affectum hominis et tempus, quo has preces facit, consideramus, neminem potest offendere. Si vero in Cod. Med. post voc. *nos* nulla apparet distinctio, (quod Wagnero libenter credo, quamquam Ambrog. illius Codicis editio, quae mihi ad manus est, distinctionem addit), hoc profecto non multum probat, quum in distinguendi signis vel additis vel omissis ne huic quidem Codici magna concedi possit auctoritas.

Paullo difficilior est locus I, 636., ubi Wagnerus, Gellium N. A. IX, 14., Heynium, Brunckium, Iahnium, alios secutus, recepit lectionem *munera laetitiamque dii*, quam antiquiorem formam vult haberi genitivi *diei*, ut sermo sit de muneribus, quibus diem tam festum exhilararent. Sed ut non oppugnem illam secundi casus formam, de qua erunt fortasse qui dubitent, quum Virgilius in altero loco, ubi pristina huius vocabuli flectendi ratione utitur, Geo. I, 208. (ad quem l. vide adnot. meam) potius *die* scripserit, quamquam literas *e* et *i* antiquioribus temporibus sexcenties confusas esse constat, ita ut etiam in illo ipso Georg. loco Charisius p. 101. Putsch. *dii* scriptum fuisse contendat; ut porro non opponam Codicum auctoritatem, qui omnes fere *dei* videntur exhibere (nam duo modo Pariss. *diei*, nullus, quantum sciam, *dii* s. *die* suppeditat), quum insolentior illa et obsoleta forma pro causa corruptionis haberi possit; ipsa tamen sententia talis est, quae magnopere offendat, Virgiliumque aliud quid scripsisse iubeat suspicari. Quis enim, quem non plane fugit veterum vivendi ratio, ipsiusque Maronis de his rebus loquendi mos et consuetudo (cf. Aen. I, 195. 724. III, 630. V, 248. IX, 165. etc.), sibi persuadere potest, poetam in describendo convivii tam lauti laetique apparatu ciborum modo mentionem fecisse, eosque tam accurate enumerasse, vinum vero, certissimum communis laetitiae incitamentum, prorsus tacuisse? cui etiam probabile videatur, a poeta tam subtili pulchri venustique sensu praedito *tauros*, *sues*, *agnos laetitiam diei* appellari? Quod quam mirum esset probe sentientes Heinsius, Burm., Bothius (collato Iacobs. ad Anthol. Palat. p. 225.) alii, lectionem *dei* amplectentes, de Bacchi muneribus cogitant, quem deum quum alii poetae, tum Virgilius ipse infra v. 734. *laetitiae datorem* nuncupent. Wagnerus opponit. Bacchum non simpliciter *dei* nomine posito design quod non audeo negare. In promptu esset co *i laetificique dei*, quae

omnem dubitationem tolleret *), si modo Virgilius aliorum poetarum consuetudinem sequeretur, qui copulam *que* interdum alteri demum, tertio, quarto sententiae vocabulo adiungunt (qua de re vide quae ad Geo. IV, 22. et Lucr. IV, 618. disputavimus); sed quum Wagnerus, auctor, si de usu Virgiliano quaeritur, locupletissimus, hoc nisi antecedente praepositione, (velut Ecl. V, 57. Geo. III, 524. Aen. II, 227.), vel in vocc. *iamque* et *namque* (Ecl. III, 33. Aen. V, 733. VI, 72. 81. VII, 637. X, 614. alibi) non sibi indulsisse Virgilium asseveret (ad Geo. I, 142.), coniecturam meam libenter retinens suspicor, poetam, vere de vino cogitantem, scripsisse *munera laetitiamque dei*, ita quidem ut, quum deum praedicato aliquo minus vulgari et usitato accuratius indicare vellet, quod non statim sibi succurreret, versum alteri recensioni imperfectum relinquere, quam tritum quiddam et quotidianum ponere maluerit.

Porro I, 374. neutiquam probare possum, quod Wagnerus, spreta omnium, de quibus certo constat, Codicum lectione *componet*, quam etiam Nonius s. v. *componere*, Lutatius ad Stat. Theb. I, 231. et Schol. Crucq. Horatii Epist. II, 3, 8. auctoritate sua tuentur, in contextum invexit scripturam *componat*, Corrado tantum auctore ab aliis (Pierii) Codd. exhibitam, quae sane Heumanno (Poecil. III. p. 380.) vulgari elegantior (!) videtur. Apertum est enim, errasse Virum eruditissimum, quum haec adiecerit: „Nec illi virgini audire, nec ipsi Aeneae narrare tum vacabat; hinc *si vacet* dicendum erat, non *si vacat*. Causae autem et conditioni, cui locum non esse ipsi significamus, non licet certum quendam eventum adiungere. Quasi sic loqui liceat: non vacat haec audire; sed antequam ad finem narrandi *pervenero*, *sol occidet*; recte contra: *vacat* —, *sed occidet*;“ nec quae Qu. Virg. VI, 3. de eadem re disputat, omnia vera dixerim. Primum enim *si pergam* et *si vacet* non id significant, quod Wagn. arbitratur; hoc enim si poeta vellet dicere, neque Aeneae pergendi, nec puellae (Veneri) audiendi tempus suppetere, non *pergam* et *vacet*, sed *pergerem* et *vacaret* scribere debebat. Immo ne scire quidem ille potuit, utrum deae vacaret, an non vacaret se audire, quamquam ea sororem aliquam hic errantem sibi quaeri v. 321. sqq. significaverat; quare rectissime per coniunctivum praesentis loquitur, quo res prorsus in incerto posita relinquitur: *si pergam*, (quod, si

*) Cf. antiqui poetae versr ... sc. I, 28, 69. *Vites ... tificae pampinis pubescere.*

me tantum measque rationes, non tempus specto, quominus faciam nihil impedit) *et si tibi vacet* (quod utrum sit an non sit scire nequeo). Eiusmodi autem sententias conditionales haud raro sequi apodosin per indicativum prolatam, ubi eventus certissimus cogitetur, quaecunque sit conditionis ratio, satis notum est; itaque h. l. coniunctivum excipere poterat indicativus futuri, quum haec sit sententia: sive vacet tibi audire, sive non vacet, si pergam in narrando, profecto nox ingruet, priusquam ad finem pervenero. Simillimus est Ciceronis ille locus Tusc. V, 35, 102. *Dies deficiet, si velim paupertatis causam defendere*, ubi Wagnerus vehementer errat, si Orellium scripturam *deficiat* defendisse existimat; immo et Orellius (in utraque editione) et Klotzius lectionem *deficiet* ex optimis Codd. rectissime servarunt, et ille quidem in Addendis Vol. II. P. 2. p. 639. (comparans etiam Graecorum duplex dicendi genus ἐπιλείψει et ἐπιλείποι ἄν με ἡ ἡμέρα, de quo cf. Schaefer. et Goeller. ad Dionys. de C. V. 4. §. 41.) non minus pro Cael. 12, 29. (ad quem locum Garatonium conferri iubet) Codicum lectionem *Dies iam me deficiet, si — — coner expromere* defendi posse censet. Etsi igitur Wagnero largior, illos locos a doctiss. Obbario in Iahnii Annall. phill. et paedd. Vol. XIII. p. 421. laudatos, quos ipse profert (Hor. Epist. I, 16, 54. *Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis*, Sat. I, 9, 54. *Velis tantummodo — Expugnabis*, et Prop. IV, 5, 9. *Illa velit, poterit*) ab hac re esse alienos, ceteros tamen ab eodem Obbario ibidem commemoratos, quos Wagnerus tacet, Cic. pr. Quinct. 21, 68. *Quod si velim confiteri, illud, opinor, concedent*, et Tusc. I, 13, 29. *Si — — eruere coner: ipsi illi — — profecti in coelum reperientur*, ubi ne varietas quidem scripturae deprehenditur, vere huc quadrare iudico; neque locum a Wunderlichio prolatum, Hor. Od. III, 3, 7. *si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae*, nihil probare dixerim. Alia res est Virg. Ecl. II, 57. VII, 68. X, 33., ubi et Codicum auctoritas et sensus coniunctivum praesentis pro indicativo futuri retinere nobis suadent. (Vid. adnott. ad hos locos.) His Codicum lectionem *componet* satis mihi videor defendisse.

Addam libri III. locum, ubi v. 4. fluctuat Codicum scriptura inter *desertas quaerere terras* (quod plurimi optimique libri praebent, in quibus Medic. et fragm. Vatic.) et *diversas quaerere terras* (qu[illegible] aliquot Codd. Pierii, Menag., Voss. I., Ha[illegible] deterioris notae). Recte Wagnerus reiicit s[illegible], quam putat ortam esse ex antecedente di[illegible]m quominus de ana-

phora cogitemus, copula interiecta impediat; sed mire eam cum Servio interpretatur: „desertas a Dardano.“ Nam quo tandem pacto poeta a legentibus potest postulare, ut tale quid suppleant, praesertim quum infra demum v. 98. sqq. oraculum illud commemoretur, quo Troiani *antiquam matrem exquirere* iubentur? Immo *desertas terras* nemo aliter potest intelligere, nisi de regionibus incolis minus frequentatis. Quamvis autem terram, in quam novi coloni sint immigraturi, quodammodo desertam dici posse, neque hoc omnino quaerendum esse, quum poeta hoc unum agat, ut miserationem moveat, et *desertae terrae* praeclare opponantur *Ilio superbo*, iam Heyn. et Iahn. verissime admonuerunt, collato qui infra legitur v. 122. Wagnerus quidem opponit, Latium desertum vocari non posse, neque Aeneam, oraculo edoctum, ignorasse, armis sibi quaerendam esse novam patriam, ita ut de colonia in terram desertam aliquam deducenda cogitari non queat. At vero non consideravit Vir doctiss., haec non iudicanda esse ex eorum temporum ratione, quibus Didoni narrentur ab Aenea, sed hunc heroem mente et cogitatione versari in illis ipsis, de quibus loquatur, temporibus, et quid illis diebus, qui secuti sunt Troiae excidium, fumantibus etiamtum Ilii ruinis, senserit, cogitaverit, fecerit, referre. Illo autem tempore, per simulacrum Creusae edoctus, nil praeterea scivit, quam post longos errores in opima quadam terra occidentem versus sita (in Hesperia) res laetas, novum regnum et connubium regiae virginis sibi parata esse (II, 780. sqq.), cui quidem vaticinio non admodum magni ponderis et auctoritatis illa desertarum terrarum commemoratio eo minus videtur adversari, quum ipse statim addat v. 7. *incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur.* Quibus perpensis nemo, puto, vel difficilem Wagneri explicationem, vel Bothii inanem coniecturam *decretas terras* amplexabitur.

Eiusdem libri v. 52. Wagnerus haec adscripsit: „Suspecta est altera huius versus pars; nam dudum iam oppugnabatur Troia, quum Priamus rebus suis diffidere coepit; id quod per particulam *iam* significatur; nec, quum primum Graeci advenissent, sed ἐπεὶ Φρυγῶν πόλιν Κίνδυνος ἔσχε δορὶ πιστὸν Ἑλληνικῷ, ut est apud Euripidem [Hecub. 4. sq.], quem videtur h. l. Virgilius expressisse, missus est in Thraciam Polydorus. Aut Virgilius ita statuit: rebus Troianorum inclinatis Graecos castra ad ipsam urbem admovisse et vera obsidione urbem clausisse; quod abhorret a temporibus heroicis. Neque vero *iam* exp[illegible]er *statim*, *ab initio*.“ Sed neglexisse videtur [illegible]verbium *furtim*

v. 50. positum, quod nisi servatis verbis *cingique urbem obsidione videret* commode explicari vix potest, quippe quae unam contineant causam, cur *furtim* dimittendus esset Polydorus. Sententiam enim hanc esse patet: Priamus Polydorum una cum magnis divitiis *furtim* (clam Graecis, stationes Graecorum fallens) dimisit, quum iam diffideret armis Troianis, urbem autem obsidione cinctam videret, ita ut palam eum dimittere non posset. Praesens autem *cingi* non de eo tempore est capiendum, quo primum urbs cingitur, sed idem fere significat, quod *cinctam teneri*. Ita enim verba cingendi, circumdandi et similia saepe usurpari, tam notum est, ut exemplis proferendis facile supersedere possim. Cf. tamen, si tanti est, ipsius Aen. XII. 162. (Latinus) *Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt.* Ovid. ex P. IV. 9, 17. *Dumque latus sancti cingit tibi turba senatus.* Caes. B. G. I, 38. *Flumen, ut circino circumdatum, paene totum oppidum cingit.* Curt. III, 1. *Terra magna ex parte cingitur fluctibus* cett. Additum autem verbum *videre* nihil hic mutare, vix est quod memorem. Iam vero si Wagnerus veram urbis obsessionem, de qua poetam cogitasse vix potest dubitari, a temporibus heroicis ait abhorrere, hoc salva sententia mea Viro doctiss. facile largiri possum. Quid enim? Nonne Wagnerus ipse Qu. Virgil. XXXIX. septendecim Virgilii locos profert, ubi poeta heroicis temporibus tribuerit, quae posterioris aetatis fuerint? nonne Quaest. XL. plures etiam commemorat, quos adeo dormitantem scripsisse bonum Maronem suspicatur? Quare nihil impedit, quominus etiam hic Virgilium suae potius quam antiquioris aetatis rationem habuisse et libertati poeticae magis quam historiae fidei obsecutum esse censeas. Quae quum ita sint, quis, quaeso, de hoc hemistichio, ab omnibus, quotquot collati sunt, libris scriptis exhibito, cum Wagnero dubitabit?

Alia quoque exempla addere in animo erat; sed vela nunc esse contrahenda video, ne aut fines libelli scholastici transgrediar, aut specimini Commentarii in Aeneidem conscripti, quod iam additurus sum, spatium praecidam. Quare id tantum adiicio, in hoc ipso specimine me omnia, quae ex aliorum commentariis ad verbum huc transscripserim, signis „.....“ et nomine auctoris addito ab meis distinxisse, quae vero ipse his alienis adnotationibus interponenda duxerim, uncis [ ] includenda curavisse. Compendia, quibus usus sum, ita s[illegible]da, ut *H.* Heynium, *W.* Wunderlichium, *W*[illegible]ignificet.

SPECIMEN COMMENTARII.

Quatuor illos versus, quos, Heynii exemplum secuti, typorum diversitate ab reliquis distinximus, (*Ille ego – – – – horrentia Martis*) non esse Virgilii, sed a Grammatico aliquo assutos, Heinsii, Burmanni utriusque (vid. Miscell. Obss. Vol. VI. p. 523. et Praef. Virgil. sub fin.), Heumanni (Poecil. T. II. p. 378.), Marklandi (ad Stat. Sylv. V, 3, 8.), Heynii, Schirachii (Clav. Virgil. p. 426.), Graseri (in censura editionis Wagner., Ephem. lit. Halens. a. 1835. ch. 185. p. 257. sqq. inserta), aliorum est sententia, qui eos, ab aliquot sane Codd. (inter quos Medic.) omissos, et Virgilii ingenio indignos esse et epici carminis gravitati adversari censent. Sed leguntur illi in Rom., Palat. aliisque libris melioris notae, ac defenduntur et Donati (Vit. Virg. §. 60.) et Servii (Praef. ad Aen.) auctoritate; iidem per se spectati satis tersi sunt et elegantes, neque quidquam continent, quod non Virgilianum censeri liceat, id quod statim singula perlustrantes videbimus, omninoque ita sunt comparati, ut, a quo et quando addi potuerint, nemo facile divinaverit; quare equidem cum Aug. Weicherto (de Lucii Varii et Cassii Parmensis vita et carmm. Grimmae 1836. p. 69. not. 61.) adsentior Wagnero, qui quum in editione sua, tum in Epist. ad Groebelium data, quam Dresdae a. 1836. typis describendam curavit, p. 18. sqq. argumentis satis probabilibus demonstrare conatus est, hos versus Virgilio non esse abiudicandos. Qui Vir doctiss. quum in Epistola illa, non omnibus nota, multo rectius, quam in ipsa editione de h. l. existimasse videatur, non possum quin ipsius verba huc transscribam: „Ac si Virgilius, inquit, ab hoc demum versu *Arma virumque cano*, ut debuit, orsus est Aeneidem, quid vetat, ne eundem statuas illos versiculos praemisisse uni vel paucis exemplaribus huius libri, quae ita amicis mitteret, ut his versiculis pro subscriptione uteretur? At recte detractos esse a Tucca et Vario totum opus quasi recensentibus, nec ego negavi, nec facile quisquam alius negabit. Nam Tuccam et Varium id fecisse quum Grammatici [Donat et Serv. ll. cc.] testentur, non est quod dubitemus, si verum eosdem referre credimus, quod omnes semper crediderunt, etiam eos versus, qui Aen. II, 567 – 588. leguntur, ab illis esse rescissos.“ Quam sententiam, mihi semper probatam et dudum in scholis publicis prolatam, si Wagn. in ipsa editione prodidisset, ei non puto Graserum tam strenue adversaturum fuisse. Nam recte *Wr.* pergit: „At iam illud velim responderi a doctissimo Grasero, si hi versus non sint a Virgilii manu profecti, a quo vel qua aetate scriptos existimet? a Grammatico aliquo? at parum est – – – – venisse hoc in mentem cr– praeter ipsum poet– –etexeret. Atqui ipsi l– sunt ita comparati –a a recentioribus d– didicerit, – – – – adeat, scriptos es–

aetate: ita integra est et incorrupta oratio, ita pura, simplex et elegans, ita ab omni inepto lenocinio abhorrens, ita denique libera ab omni imitationis vestigio, ut prope nulla fraudis suspicio relinquatur. Longe distat ab hac Grammaticorum, imitatorum, posteriorumque poetarum ratio. Quid? quod Santenium si audiamus (ad Hier. Balbum p. 182.) erit etiam, qui ipsa haec Virgiliana respexerit, Propertius II, 10, 3. ed. Burm. [quod tamen admodum est dubium.] Denique vide, quam submisse poeta primum dicat de Bucolicorum genere, quam ornate de Georgicis, quam graviter idem de bellicis rebus! Videre autem, quid cuique rei aptum sit, boni est, non mali et vulgaris poetae.“ Quare nobis quidem maxime probabilis videtur illa de subscriptione s. titulo quodam, quem ipse poeta uni alterive exemplari addiderit, sententia, ex qua neque versus illi non Virgiliani censeantur, neque unice aptum carmini exordium detrahatur: *Arma virumque cano*, quod dubitari non potest quin Homeri Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, imitetur, et ab Ovidio, Plinio, aliis spectatur. (Vid. Ovid. Trist. II, 533. *Et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor Contulit in Tyrios arma virumque toros*, coll. cum Amor. I, 15, 25. *Tityrus et fruges Aeneiaque arma legentur, Roma, triumphati dum caput orbis eris.* Plin. Epist. V, 6. *Vides, quot versibus Homerus, quot Virgilius arma, hic Aeneae, Achillis ille, describat.* Veget. de re mil. II, 1. *Res igitur militares sicut Latinorum egregius auctor carminis sui testatur exordio, armis constat et viris.* Cassiodor. de orthogr. Praef. p. 2278. P. *Hunc debemus ordinem custodire, ut primo de subdistinctione dicamus, ---- ut Arma virumque cano, ubi totius operis summa concluса est.* et alios.) — Iam singula percenseamus. *Ille ego*, ut Ovid. Met. 1, 757. *ille ego liber, Ille ferox tacui.* Ibid. IV, 226. *Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum*, et Plin. Epist. I, 6, 1. *Ego ille, quem nosti*, ubi vid. Cort. — *qui quondam -- modulatus* scil. sum, quod recte supplent W. et Wr., comma vulgo post *quondam* positum tollentes; quorum ille praeter Val. Flacc. I, 757, comparat Aen. I, 356. *devenere locos — mercatique* (sunt). *solum*, hic bene admonet, si *modulatus* participium esset, quod Heynio aliisque videtur, Bucolica cum Georgicis collata quodammodo deprimi; quod sane ab hoc loco alienum, ubi poeta nihil aliud vult significare, quam a Bucolicis ad Georgica, a Georgicis ad Aeneidem se processisse. Alia autem non minus dura omissi verbi substantivi exempla vid. ad Ecl. I, 54. prolata. — *gracili avena*, quae Ecl. I, 2. *tenuis* vocatur, ubi vid. adnott. Videtur hunc versum ante oculos habuisse Nemes. Ecl. I, 3. *Incipe, si quod habes gracili sub arundine carmen*, ad quem l. cf. Titius et Barth. — *egressus silvis*, bucolica poesi dimissa, derelicta. *Silvae* enim sunt pascua. Vid. Ecl. IV, 3. — *vicina -- arva.* „Burmannum vehementer offendit vox *vicina*; Markland. ad Stat. V, 3, 8. quaerit, utrum Mantuae an silvis vicina? sane silvis, quod ex verbo *egressus* clarissime apparet. Similis oratio Geo. III, 295—301. --- Tum iunge *coegi vicina arva, ut parerent;* idem vidit Wunderl. Obss. ad Tibull. I, 5, 13. et ante hunc iam Henr. Stephanus. --- Denique ait Burm.: „„*coegi, ut parerent arva* an eleganter sit dictum dubito.“ [illegible] ubique verbo *cogere* iungitur Infinitivus; sed si v[illegible]t eiusdem locutionis exemplum, ea tamen est hui[illegible]t in poemate certe haud dubitem istanc partic[illegible] verbo adsciscere. Ecce ta-

men Ter. Hec. II, 2, 26. *Vi coepi cogere, ut rediret.*" *Wr.* Neque nimis rara haec constructio. Cf. Ter. Andr. IV, 1, 30. *Nec tel quivit hodie cogere, illam ut duceres.* Caes. B. G. I, 6. - - - *vevi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur.* Cic. Or. III, 3, 9. *Tenemus memoria, Q. Catulum - - - esse coactum, ut vita se ipse privaret.* — „*ut quamvis avido parerent colono*, ut, licet ille frugum terrae sit avidissimus, tamen agri proventus ubertate cupiditati eius satisfacerent. *Parent arva* et *coguntur parere* agricolae studio et opera, quae declaratur a poetis per *imperium, vim* et similia; dicitur *agris imperare, agri servire, parere.* [Cf. adnott. ad Ge. I, 99.] Hoc loco id, quod Maro, de re rustica praecipiens, rusticos facere docuit, *cogere arva, ut pareant*, ad se commode transtulit." *H.* — Verba *Gratum opus agricolis*, quae Grasero otiosa et alieni laudatoris videntur, *Wr.* in Epist. laud. p. 19 sic defendit: „Quum vss. 2 et 3. Georgica ita sint significata, ut ea, quae subiiciuntur, *Gr. opus agr.*, si omissa essent, non essemus desideraturi, non tamen continuo inde sequitur, eadem esse otiosa et plane praeter rem addita. Nempe si omissa essent, nihil aliud poeta, nisi quis esset novi auctor carminis declararet, eum videlicet, qui antea res rusticas cecinisset, Virgilium; nunc vero quum haec adiecta legantur, non solum quandam nominis sui notam his verbis contineri voluit, sed ad ipsam horum carminum diversam rationem ac naturam respicit, ea, quae antea scripserit, agricolis, placato et tranquillo generi, grata esse dicens, nunc quae componat, plane illis esse contraria, discordiae, turbae, caedis plena; id quod illustratur per grave illud *at nunc.*" — Hanc ipsam autem gravem et minus usitatam opponendi rationem *Ille ego, qui - - - modulatus* (sum) *et coegi - - -: at nunc - - - cano*, in quam vix incidisset interpolator, ut hos versus ipsi Virgilio tribuendos censerem, imprimis me movisse fateor. Wr., huius dicendi generis bonitatem probaturus, confert Liv. X, 19, 17. *Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voveo*; cui loco multos alios addere poterat eiusdem scriptoris, velut I, 28, 9. 41, 3. III, 17, 3. 31, 7. 56, 12. (certe ex Gronovii coniectura, *at* vulgari *ait* substituentis) IX, 1, 8. X, 19, 17. 26, 3. etc., quorum partem iam Gronov. ad XXIV, 37, 11. congessit. Ante omnia autem comparandus erat ipsius Virgilii locus simillimus Aen. I, 542. sq. Cf. etiam Hand. Tursell. 1. p. 429. — „*Arma horrentia* si sunt horribilia, novatum hoc censemus; nam exemplum huius usus adhuc desidero; possunt autem accipi, ut *tela horrentia, hastae horrentes* dicuntur, dum erectae, protensae stant; nec aliter *horrens umbra* dicta v. 165. et 311. Cf. inf. ad X, 237. Priori tamen explicationi: quae *horrere faciunt, terribilia*, favet analogia vocabuli *horridus* et Graecum φρίσσοντες ὄμβροι ap. Pind. Pyth. IV, 144." *H.* „*Horrentia* arma opponuntur a poeta nitido arvorum cultui, qui quum grato adspectu delectet animos, arma contra horrore afficiunt: quod enim horret, hanc etiam saepe habet vim, ut horrorem iniiciat; ut si quem ferum horridique capilli hominem videmus, horrore quodam perfundimur." Ita *Wr.*, cui adsentior; quamquam negari nequit, *horrens* interdum, prima significatione prorsus neglecta. simpliciter pro horrido s. horribili poni, ut Quinct. Decl. X *horrentibus verbi*[illegible] *ditur.*

1. „*Arm*[illegible] (sub Aeneae advent[illegible] orta) *virum* [illegible] *venit*, h. e. et [illegible]

Troia profugi in Latium, eum quidem in locum, quo Lavinium posthac ab Aenea fuit conditum. Est haec Aeneidis summa, quae absolvitur sede in Italia accepta, Turni caede et ex foedere. Vid. inf. XII, 187. sqq.“ *H.* Sic potius locum intellige: Bella canam et virum illum, qui adventu suo in Italiam ea excitavit. Neque enim aliam explicationem haec verba cum antecedentibus coniuncta admittere, quisque videt; quare quae *Wr.* contra Heynium disputat, nisi neglecta illa subscriptione, quam vocat, probari non possunt. „At non facile erit, inquit ille, cui placeat *arma* ita separatum a proximis vv.; nimis hoc quidem tenue. Itaque recte, si quid video, Burm.; „„*Arma virumque cano*, ex sollemni et sexcentis apud veteres locis usitata formula, ubi his duobus omnis vel civitatis, vel regni, vel unius hominis excellentia et robur absolvitur.“ “ Adde exemplis ab eo laudatis [Liv. VIII, 5. 13. 25. IX, 31. 38. XXIII, 30. Sil. I, 132. IV, 11. VI, 6. VII, 8. XVII, 516. Val. Fl. IV, 8. Stat. Theb. V, 305.; quibuscum cf. Aen. XI, 747. Miscell. Obss. Vol. VI, p. 353. et adnott. ad Aen. VIII, 3.] Liv. IX, 24. *quum tela et armatos tenere arcem – – – audirent* [quem locum huc non quadrare iam Graser. vidit.] Nec licet dubitare, quin sic intellexerit Virgilii verba Ovidius Trist. II, 533. [vid. supra.]“ — „ *Primus Troiae ab oris* ita intelliges, primum e Troianis in has certe Italiae partes ad Lavinium, (quod iam auctor libri de Orig. G. Rom. c. I. monuit) pervenisse Aeneam; nam Antenor ad Venetos in intimo sinu Adriatico, in aliam Italiae partem, quae Galliae Cisalpinae erat, appulerat (cf. inf. v. 247.), et qui ante eum Italiam frequentarant, Oenotrii, Evander et Hercules, ex Graecia advenerant. Malim tamen *primus* pro *primo*, *olim* accipere, ut Aen. I, 24. VIII, 319. Hor. Sat. II, 2, 93.“ *H.* Haec altera ratio haud dubie verior. Ita etiam Geo. I, 144. *Nam primi cuneis scindebant fissile lignum*, i. e. antiquissimorum temporum homines. —

3. „Fato praeclare ponitur, ut ad deorum interventum poëta viam muniat; *profugus* ornate adiectum [non tamen supervacaneum, quum causam contineat, cur Aeneas Troia relicta in Italiam venerit.] Iungere praestat *Troiae ab oris profugus venit.*“ *H.* Quare commata, quibus H. et Wr. verba *fato profugus* includunt, delevi, quod etiam Iahnium fecisse video. — *Italiam* pro: in Italiam. Constat enim, non solum poetas, qui omnino praepositiones saepe omittere consueverunt (vid. adnott. ad Geo. I, 134.), verum etiam pedestris orationis scriptores ante terrarum quoque et regionum nomina, ubi de motu in aliquem locum sermo est, praepositionem interdum negligere. Aureae tamen aetatis scriptores pedestres non nisi nomina insularum et terrarum maritimarum, ad quas navium cursus dirigitur, ita construere solent. Cf. Ecl. I, 64. Aen. I, 31. II, 742. 781. III, 601. IV, 124. 165. VI, 542. 638. 696. IX, 100. cett. Barth. ad Claud. B. Get. 73. Drakenb. ad Liv. XXXIII, 41, 6. Cort. ad Lucan. I, 678. V, 572. et alibi. Oudend. ad Apul. Met. p. 24. et 33. Daehn. ad Nep. Milt. I, 1. et Dat 4, 1. Weichert. de verss. iniuria suspp. p. 86. Ruddim. II. p. 284. Ramsh. §. 134. not. 1., qui multa exempla collegerunt. — *Laviniaque venit Litora.* Copulam *que*, quam cum Iahnio et Wagn. restitui, tuentur omnes Codd. praeter unum Hamb. et omnes, qui hunc locum laudant, Grammatici, in quibus Quinct. Inst. XI, 3.; eamque ut retineamus, ipsa suadet loci sententia: simplex enim eiusmodi appositio *Italiam*, *Lavinia litora*, qua generi una modo spe-

cies adderetur, bonae latinitatis usui videtur adversari, quum contra *Italiam Laviniaque litora*, i. e. et quidem L. litora, per epexegesin illam, de qua ad Geo. I, 498. dictum est, optime se habeat. Cf. imprimis locus simillimus infra v. 569. *Hesperiam Saturniaque arva*, et Wagn. Qu. Virg. XXXIII, 1. et 8. Ceterum scriptura loci fluctuat inter *Laviniaque*, quod nos cum Wr. edidimus, et *Lavinaque*, cui W. et Iahn. cum Servio patrocinantur. Sed verissime *Wr.*: „*Lavina* Servius amplectitur, et ita factum videtur, ut genuinam lectionem, quam ipse propugnat poeta infra IV, 236., eius disputatio expulerit. Neque a *Lavinio*, quam veram esse huius nominis formam infra ad v. 270. docebimus, recte fit *Lavinus*, sed *Lavinius*. Iam vero *Lavinia* quidem ex ipso Medic. reduxit Heinsius; sed is, ut solet, negligenter inspexit illum codicem, neque puncta ·.· vidit extremae literae adiecta, quae satis crebro in illo cod. signa sunt liturae; unde magna oritur suspicio, primum scriptum fuisse *Laviniaq.*, et ita prorsus, *Laviniaque*, exstat in uno Moret.“ De hoc autem synizesis genere paullo duriore, quod Servio haud dubie fraudem fecit, idem Wr. conferri iubet Aen. VII, 237. *verba precantia*. VI, 33. *Quin potius omnia Perlegerent?* V, 269. *evincta tempora taeniis* [quibus locis an iure adiungat VII, 769. et XII, 401., dubitari certe potest;] Iahn. ad Aen. VI, 33. et Geo. IV, 243. [qui memorat formas *abjete* (Aen. V, 663. IX, 674. XI, 667.) *arjete* (Aen. II, 492. VII, 175. XII, 706.) *connubjo* (Aen. I, 73. IV, 126.) *parjetibus* (Geo. IV, 297. Aen. II, 442.) etc.] Santen. ad Terent. Maur. p. 429. sq. Bentl. aliosque ad Hor. Od. I, 8, 1. — Cf. etiam adnot. nostra ad Ecl. VI, 41. Geo. I, 397. et 482. Weichert. de versu hyperm. p. 23. Ramsh. §. 209. III, 1, b. alii. — *Lavinia* autem *litora* sunt ea, in quibus postea ab ipso Aenea Lavinii oppidum erat condendum; nam poetae haud raro per anachronismum epitheta petunt a rebus posterius factis. —

3. „*venit, iactatus et passus*; interponitur ex more *ille*: postquam magnos labores maritimis erroribus, et tentata frustra et variis in locis nova sede, toleraverat. *Πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν*, Od. I, 4.“ *H.* Noli enim interpretari: qui iactatus est, Immo participiis et adiectivis, ad antecedens aliquod substantivum relatis, nonnunquam pronomen *ille*, ut Graec. *ὅγε*, quo fortior et vividior reddatur oratio, pleonastice adiungi constat. E Virgilio huc pertinent loci Aen. V, 456. IX, 477. sqq. 796. X, 385. XII, 5., quos iam Wagn. Qu. Virg. XXI, 8. protulit. Cf. Ruhnk. ad Ter. Adelph. III, 2, 8. Bentl. et Heindorf. ad Hor. Sat. II, 6, 83. Iani ad Hor. Od. I, 9, 15. alii. Cognatus est pleonasticus ille usus eiusdem pronominis ante *quidem*, sequente part. *sed*, cuius multa exempla collegit Beier. ad Cic. Off. II, 6, 21. Ceterum imitatus est hunc versum Silius VIII, 474. *Tum pius Aeneas, terris iactatus et undis*. —

4. *Vi superum*, quum neminem deorum praeter unam Iunonem Aeneae infensum fuisse constet, Fr. Gall (in Ephem. lit. Ienens. a. 1828. *Intell. Bl.* 15. p. 119.) satis mire ita interpretatur, ut non significet deorum numine et voluntate, sed plane contrarium: „contra voluntatem deorum, magno cum dolore deorum,“ quemadmodum Graece dicatur: *βίᾳ νόμου, βίᾳ τῶν πολιτῶν*; qua explicatione iure reiecta, *Wr.* haec verba ad unam Iunonem referenda e[illegible] um et Graeci et Latini[illegible] rali utant[illegible] unum aliquem, sed

definitum, indicent, ut Aen. III, 488. VI, 322. VII, 96—98. 350. XI, 784.; hinc, ut iam intelligatur, quis sit ille obscure significatus deus, adiicere poetam haec: *saevaeque — — iram.* Sed quum mira profecto esset epexegesis *vi numinis alicuius, ob iram Iunonis*, neque *vi* et *ob iram* ita sibi respondeant, ut illud per hoc explicari possit, mihi quoque, pariter ut Grasero, *vi superum* latiore sensu accipiendum videtur. Ut enim concedam, praeter Iunonem neminem ex deorum coetu Aeneae succensuisse, notum est tamen, ipsam Iunonem aliorum numinum, ex quibus Aeolum et Iuturnam nomino, usam esse ministerio, quo Aeneam perderet, neque ceteros deos conatibus eius semper restitisse; quare heros ille aptissime *vi superum*, ipsorum deorum interventu, non hominum tantum machinationibus, iactatus dici poterat. Haec enim verba rationem, qua iactatus sit, sequentia, *ob iram Iunonis*, causam calamitatum, quas perpessus sit, indicant. — „*memorem Iunonis ob iram*; proprie Iunonis memoris, cuius ira, vindictae cupiditas, cum acceptae iniuriae pertinaci memoria erat coniuncta; hinc ipsa ira memor. Sic et Graeci. Vid. Guelliusm ad h. l. μνάμων μῆνις, Aeschyl. Agam. 161. Ad rem cf. Aen. V, 781. sqq.“ *H.* Ita etiam apud Liv. IX, 29. extr. *Traditur — — censorem etiam Appium, memori Deûm irâ, post aliquot annos luminibus captum*, et apud Silium XIII, 71. *Pone, Anchisiade, memores iras metusque.* Cf. Gronov. ad Liv. XXXIII, 12, 5. Ceterum de hac hypallage adiectivi, quae, certae legi adstricta, nisi ipsum adiectivum ad alterum quoque substantivum transferri licebat, nulle modo admitti possit, docte disputat Beneck. et ad Iustin. XLIV, 4, 3. (*vario ferarum lacte*) et ad Cic. de imp. Pomp. 9, 22. (*Medea illa — — quam praedicant fratris sui membra — — dissipasse, ut eorum collectio dispersa — — celeritatem persequendi retardaret*); qui eundem Graecorum usum comparans (de quo Hermann. ad Soph. Phil. 1106. Lobeck. ad Soph. Aiac. 7. Matth. ad Eurip. Phoen. 30. Bernhardy Synt. p. 426. sq. conferri iubet), inter alia exempla commemorat Cic. Off. II, 5, 18. *cohibere motus animi perturbatos*; eiusd. N. D. II, 39, 98. *Adde huc fontium gelidas perennitates.* Phaedri IV, 23, 7. *Lacerari coepit morsibus saevis canum.* Iust. XXXIV, 2, 4. *gravem luctus memoriam reliquerunt.* Ita igitur *memor Iunonis ira* i. q. ira, quae factis semper prodit, Iunonem memorem esse iniuriae. —

5. „*Multa* quoque *passus*, etiam *bello*; quamquam *quoque et* pro simplici *quoque* etiam alibi occurrit.“ *H.* Probe enim observandum est discrimen inter locos, ubi particulae *et s. etiam quoque* ad diversa eiusdem enuntiati verba referendae sunt, et inter eos, ubi eum vi quadam coniunctae ad unam eandemque notionem pleonastice referuntur (*auch sogar*). Hac ratione usurpatum legitur *etiam quoque* apud Plaut. Merc. II, 2, 56. Pers. IV, 6, 7. Pseud. I, 1, 120. Ter. Hec. IV, 1, 28. V, 1, 8. Lucr. III, 292. V, 154. 518. 603. VI, 303. alibi, ut *item quoque* apud eundem Lucr. V, 750. et VI, 757. Alia vero ratio est eiusmodi locorum, ut Plin. H. N. VIII, 16, 21. *Sunt vero et fortuita eorum* (leonum) *quoque clementiae exempla*, et similium. Quod discrimen neglexit Wagn. praeter mea ad Lucretii II. cc. Handium ad Stat. Silv. p. 12. et Vechner. Hellenolex. p. 155. laudavit. Burm. conferri iubet Donat. ad Ter. Hec. V, 1, 7. Scrivér. ad Macrob. Sat. I, 7. et Rupert. ad Flor. III, 18, 6. — *dum conderet.* De hac constructi[illegible] ad Ge. IV, 107. — *N.* Haec adnotat[illegible]dam

conderet urbem, donec Lavinium condidit, sedemque ibi imperii fixit (cf. XII, 194.), cuius rei signum certissimum, si patria religio instituta est; unde: *Inferretque deos Latio*, inferret in Latium Penates Troia advectos. A re, quae religionem et venerationem habet, accessum Aeneae praeclare designat: splendidior sic facta est oratio, quam si in Latio eum consedisse audires." Cf. cum h. l. Aen. I, 378. II, 717. III, 11. —

G. T. „*unde*, qua ex re, [cf. adhuc, ad Ge. III, 496.] quo factum est, ut Aborigines cum Troianis aequati communi Latinorum nomine sint comprehensi (cf. Aen. XII, 823. sq.), ut ab Ascanio Alba sit condita, et ex eius posteris urbis Romae conditores ortum habuerint. *Albam* autem bene ab *Albanis patribus* designat, a senatu, nobiliore populi parte; cf. IV, 682. VII, 727. Praeclare autem rerum narrandarum summam ad Romanorum originem in ipsa carminis fronte revocat." *H. — altae Romae.* Vide quae ad Ge. I, 485. disputavimus. —

S. *quo numine laeso.* Plures huius loci paullo difficiliores propositae sunt explicationes. Heyn., Iahn., Seidenstücker (in Rupertii et Schlichthorstii libro *Neues Magazin für Schullehrer* T. II. Fasc. I. p. 204. sqq.) et Langius (in Vindiciis trag. Rom. p. 36.) ut iam olim Io. Fr. Gronovius (Observv. I, 9.) *quo* seiungunt a numine, ut sit ablativus causalis pro *qua re* positus, nec minus ad *impulerit* quam ad *laeso* pertineus; qua opinione ductus Iahn. locum sic interpretatur: Causas memora, qua re (*quo*) Iunonis numen laesum sit, vel quid inde (*numine suo laeso*) dolens eadem impulerit etc. At si hoc voluisset poeta, non tam ambigue scripsisset, quum quivis haec legens coniungere debeat *quo numine laeso*, sed omnem ambiguitatem vitans *qui* potius vel *qua* posuisset. Accedit quod, si *quo* explicamus *quam ob rem*, ablativi illi absoluti *numine laeso* admodum languent. Itaque *quo numine laeso* coniungenda esse nemo non videt. Noli vero cum Schirachio p. 510. de alio numine, nisi de Iunone, cogitare. Hic enim Vir doctus sequente demum versu de Iunone agi, hic vero aliud quodcunque numen intelligendum esse putat, ut locus hunc sensum habeat: quo deo offenso, aut quo scelere in Iunonem commisso factum sit, ut dea impelleret etc. Sed quum poeta ipse statim subiciat nomen deae laesae, quomodo Musam rogare potest, quo numine i. e. quo deo laeso Aeneas tot labores adire sit coactus? nisi deorum reginam alius cuiusdam dei laesi causam suscepisse dixeris, quod quam absonum sit, non est cur doceam. Nec magis probabiliter Burm. cum Heumanno (Poecil. Vol. II. p. 378.) explicat: qua parte potentiae eius laesa; ut, quum Iuno pluribus rebus praesideat, poeta roget, in quam eius vim, potentiam, divinitatem Aeneas peccaverit. W. *numen*, ad ipsam Iunonem relatum, de consilio, voluntate deae intelligit, et verba ita solvit: quod numen Iunonis laesum sit, quidve doluerit dea, ut etc., hac addita explicatione: „*numen* est *laesum*, h. e. consilium deae, id quod concupivit, ad irritum cecidit. Cupiebat autem Carthagini imperium orbis terrarum parare; quae optata per Aeneae posteros irrita fore sciebat. *Dolens* magis ad Paridem et Ganymedem spectat." Quam locum capiendi rationem tanquam simplicissimam ego luxta cum Grasero reliquis omnibus anteponerem, modo certis exemplis demonstrari posset, voc. *numinis* vere habere eam, quam W. statuit [illegible]ionem. Nusquam vero [illegible] gisse numen [illegible] cuiusdam consili

patum, et omnes loci, quos fortasse huc facere censeas, ut Aen. I, 137. II, 123. 703. VI, 266. Ovid. A. A. I, 203. Cic. Div. I, 53, 120. Nep. Ages. 2. et similes, alius sunt generis, quum maiestatem, potentiam, voluntatem deorum omnino significent. Quod autem praeterea *Wr.* in Epist. illa p. 22., nimis fastidiose de Wunderlichii interpretatione iudicans, opponit: „deinde fallitur *W.*, quod verba *numen laesum* ad cladem Carthagini a Romanis impendentem spectare putat; quod, quum sit, ut ICti loquuntur, gravamen de futuro, non illo iam tempore numen Iunonis ea re laesum esse poterat; futurum erat, ut laederetur; denique *dolens* minime ad ea referre licet, quae infra de Paride et Ganymede leguntur; hanc enim causam particula *etiam* v. 25. aperte ostendit non iam superiore oratione esse comprehensam, sed plane novam accedere; " hoc quomodo Viro doctiss. excidere potuerit, equidem non perspicio. Apertum est enim, quod his paucis modo verbis significat poeta, *quo numine laeso quidve dolens*, id eum tamquam edoctum a Musa in sequentibus per partes eundo accuratius indicare omninoque quatuor causas irae et doloris Iunonis proponere, periculum Carthaginis, originem Troianorum, Paridis iudicium, Ganymedis raptum, ut iam ex v. 29. *His accensa super* elucet, quae verba etiam ad metum v. 23. significatum pertinere in promptu est. Quae quum ita sint, nisi ad coniecturas confugere velimus, qualis es Catroei *quo nomine laesa*, nihil sane videtur superesse, quam ut Wagneri rationem amplectamur, paullo difficiliorem illam quidem et a Grasero acriter impugnatam, sed omnium tamen, quae adhuc prolatae sunt, explicationum maxime probabilem. Hic enim Vir. doct. quum in edit. sua pronomen relat. non raro ita poni asseveraverit, ut modum, quo quid fiat, similesque notiones includat, hoc in Epist. aliquoties laud. p. 23. accuratius sic explicat: „Utimur autem vel ubi aperte negamus, vel ubi id, quod audivimus, mirum esse et vix credibile significamus, pronomine illo saepe ita, ut non illud quaeramus, plura quum sint, quid ex his potissimum intelligendum sit, sed ut vel non intelligere, vel indignari, vel mirari nos indicemus, quomodo quis contendere possit illud, quo spectet eius oratio. Ut si quis alterum arguerit certam quandam iniuriam fecisse culpiam, poterit is, qui ita insimulatus fuerit, respondere: Quam feci iniuriam? non quo ipsum genus iniuriae quale sit exquirat, sed quo totum illud neget, hanc a se allatam esse iniuriam; unde haec existit sententia: quomodo s. quo iure potes contendere, hanc a me factam esse iniuriam? s. quomodo tandem te laesi? - - - - Iam quum Virgilius Aeneam ab Iunone agitatum fingat, necesse videri poterat, hanc ab illo esse laesam. Quam igitur Iunonem ille laesit? scilicet nullam; ita enim loquuntur Latini; i. e. quo tandem modo laesit Iunonem? nempe nullo. Ergo quum Virgilius scribit: *quo numine laeso impulit*, non illud quaerit, quid potissimum fecerit Aeneas, quo laeserit Iunonem, sed hoc significat: nullo modo laesam esse ab Aenea Iunonem. Itaque si pedestri oratione utaris, hunc fere in modum sententiam poetae exprimas: Dic, Musa, quonam tandem modo Iuno laesa ab illo fuerit, aut si non fuerit laesa (ut non fuit), qui dolor eam exasperaverit etc. Huc etiam spectant illa *Insignem pietate virum*; quo enim tandem modo suspicari licuerit Iunonem laedi potuisse ab homine pietate ceteros superante? Ergo poeta statim [illegible] *ve dolens*; nimirum omne Iunonis, quo in Aenea[illegible]m ex illo dolore quasi ex fonte

manabat, quod eum sciebat regnum conditurum, unde suae Carthagini pernicies esset ventura.“ Exempla a Wr. prolata, quibus hunc usum pronominis probaret, Ecl. VI, 78. sqq. Ge. II, 269. sqq. IV, 506. Aen. II, 822. III, 337. IV, 428. VI, 466. etc., quamquam non omnia vere huc quadrant (cf. adnott. ad Ecl. VI, 78. et Aeneidos II. II.), sufficit tamen vel unus ille locus Ciceronis de Rep. I, 36. in. *Imitabor ego Aratum, qui, magnis de rebus dicere exordiens, a Iove incipiendum putat?* L. *Quo Iove? aut quid habet illius carminis simile haec oratio?* quem Wr. recte explicat: quomodo a Iove incipiendum putas? Graser. minus recte: quem tandem Iovem narras? Illud enim, id quod vere pronuntiat Wr. in Epist. illa p. 23., is dicit, qui nescire se atque etiam mirari fatetur, quare Iovis mentionem alter iniecerit, hoc contra est eius, qui cum stomacho et fastidio quodam alterius orationem refutat. —

10. „*quidve dolens impulerit* dea virum (i. e. coegerit) *toi casus volvere*, h. e. ut subiret, adiret. Nam volvere dicimur ea, quae molimur, in quibus perficiendis versamur, atque ea, quae perferimus ac toleramus.“ *H. Volvere*, quod proprium est de temporum decursu vocabulum, (vid. Ge. II, 295. Aen. I, 273. VI, 748. IX, 6. cett.), hic transfertur ad mala perpetua, quae quasi circulo quodam et orbe continuo se invicem sequuntur. Ceterum *impellere* cum infinitivo est poetica constructio (cf. Aen. II, 55. et 520. Ovid. Am. II, 12, 21. *Femina Troianos iterum nova bella movere Impulit.* Val. Fl. I, 673. *consurgere in iras Impulit.* Stat. Theb. X, 737. *impelluut credere Parcae etc.*); qua tamen etiam posteriores scriptores prosaici utuntur, velut Iustin. III, 1, 3. *Impellit Artaxerxen, parricidium parricidio vindicare.* Tac. Ann. XIV, 60. *Quendam ex ministris Octaviae impulit, servilem ei amorem obiicere.* —

11. *Tantaene - - - irae?* Cf. Aen. XII, 830. *Et germana Iovis, Saturnique altera proles, Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?* Verba Maronis repetit Auson. Epitaph. Her. XXVII, 9. *Proh facinus! tantaene animis coelestibus irae?* ubi v. 2. antecedunt verba *laesi numina Latoidum.* Ceterum pro signo exclamationis, quod omnes fere editores adpingunt, cum Iahnio interrogationis signum posui. —

12. „*Urbs fuit*, quoniam illa tum erat eversa, a Tyriis condita et habitata. — *antiqua*, quoniam antiqua origo imprimis in urbium laude memoratur; inf. II, 362. de Troia *Urbs antiqua ruit;* et de Italia III, 164. *Terra antiqua, potens.*“ *H.* „Et *terris* tribuitur epitheton. *Creta antiqua*, antiquitate celebris, apud Iuven. XIV, 270. Cf. inf. v. 531.“ *W.* Adde Aen. XI, 540. *Priverno antiqua Metabus quum excederet urbe.* — *Tyrii tenuere coloni;* Tyro enim per Didonem colonia in Africam deducta et Carthago condita est nono circiter ante Chr. n. seculo medio. Causam, cur patriam reliquerit Dido, infra v. 338. sqq. poeta narrat. —

13. *Italiam contra*, ex adverso, e regione Italiae, de qua praepositionis significatione cf. quos laudat Hand. Turs. II. p. 109. Drak. ad Liv. XXXVII, 15, 7. Burm. ad Vellei. II, 76, 3. Oudend. ad Frontin. I, 4, 7. Davis. ad Bell. Hisp. 27. alii. Praepositionum casui suo postpositarum multa exempla collegerunt Ruhnk. ad Vellei. II, 91, 2. Hand. Turs. II, p. 68. 125. 440. Rudim. II. p. 335. sqq. Ramsh. §. 151. 3. et 4. Cf. v. c. Aen. V, 370. *Paridem contra contendere.* Cic. pr. Mur. 4, 9. *qu[illegible] veneris* (ibique [illegible]. 10, 34. *quem contra d[illegible]*

primis Tac. Ann. III, 1. *Agrippina Corcyram insulam advehitur, litora Calabriae contra sitam.* Vid. Frotscher. meus in Cic. Philipp. II. commentar. spec. p. 33. sq. et cf. quae ad Ecl. VI, 19. et Ge. I, 161. adnotavimus. — „*Longe*, procul sita, magno interiecto maris intervallo, ex adverso Italiae, et quidem Romae, quam per *Tiberim* designari puto.“ *H.* „*Longe*, interpositum verbis *Tiberina ostia*, instar participii est *longe distantia;* ad Graecam normam et hoc dicitur. Soph. Ai. 204. τοῦ Τελαμῶνος τηλόθεν οἴκου.“ *W.* Qui adverbii usus eadem nititur sermonis consuetudine, ex qua dicunt v. c. *res semper recte fore* (Hor. Sat. II, 2, 106.), *quaestionem haud remissius futuram* (Cic. Rosc. Am. 5, 11.), *omnia absumta esse* (Sall. Cat. 21, 1.), *prospectum facilius fore* (Sall. Iug. 94, 1.) et similia. (Cf. Heindorf. et Matth. ad Hor. et Cic. ll. ll. Kritz. ad Sall. Cat. 58, 9. et Iug. 7, 6. Hand. Turs. II. p. 747. alii. Pertinet huc imprimis Hor. Sat. I, 6, 51. *dignos -- prava ambitione procul*, gr. *πόῤῥω ὄντας*, ubi vid. Heindorf., qui comparat Ovidiana illa Met. I, 20. *Frigida pugnabant calidis — — mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.* Participio enim verbi *esse* quum Latini non utantur, fieri non potest, quin adverbia ipsa haud raro pro participiis vel adiectivis posita videantur. Quare si v. c. Ciceroni pr. Placco 29. extr. scribere licuit *Longe omnino a Tiberi ad Caicum* pro: longa est via a T. ad C., quidni etiam poetae *Urbs fuit contra Tiberina longe litora* pro longe remota, distantia? —

12. *divos opum.* Vid. adnott. ad Ecl. II, 20. — „*studiis asperrima belli* graviter pro dedita, vacans studiis. Vulgo *bellum* dici solet *asperum*, [cf. Aen. XI, 635. XII, 124. Sall. Iug. 48, 1. etc.] tum *studium belli*, denique urbs *aspera belli studiis.* Virtus bellica a poetis per *iram* exprimitur eiusque attributa. *Exasperatur* autem is, qui offenditur et ad iram provocatur. Itaque *asper*, *τραχύς*, modo iratus, vehemens, ferus, ferox, saevus; modo fortis, bellicosus; modo acer, ardens, concitatus, flagrans, ut M. l.“ *H.* Non prorsus eodem sensu apud Iustin. II, 3, 7. *gens bellis aspera* commemoratur.

13. *magis omnibus.* Cf. infra IV, 31. Hor. Sat. II, 8, 6. Ovid. Met. II, 856. et Bentl. ad Hor. Od. I, 25, 11, 12. — „Quam Iunoni fertur ullam omnium maxime arrisse, etiam Samo praetulisse, in qua antiquissima et celeberrima Iunonis religio erat. De templo Iunonis Samiae v. Herodot. III, 60.“ *H.* „Vid. Panofka *Res Samiorum* p. 57. sqq. — *unus* saepe superlativis adiungitur, ut II, 426. [ubi vid. adnott.] raro comparativis, ut ab Hor. Epod. XII, 4. *Namque sagacius unus odoror.* [*Unam* et *omnibus* hic eadem ratione sibi opponuntur, qua apud Cic. Att. VI, 1. (*Pompeius plus potest unus, quam ceteri omnes*) et alibi.] — *colere* terras, urbes dicuntur dii, quae prae ceteris curae cordique sibi sunt; Ecl. II, 60. sq. et III, 59. sq.“ *Wr.* Ad quos locos vide quae adnotavimus. — De hiatu *Samo; fuit* cf. adnott. ad Ecl. II, 24. et 53. —

Programm.

Es gereicht mir zur besondern Freude, die Einladung zu der Feierlichkeit des Abganges mehrerer unserer Schüler sowohl, als zu der Prüfung aller Classen, mit der Nachricht begleiten zu können, daß das Betragen und die Studien unserer Jugend mir und meinen Collegen in dem verflossenen Halbjahr mehr als genüget haben. Hat auch unsere Schule extensiv an Zahl ihrer Zöglinge verloren, so ist sie intensiv in ihrem sittlichen und wissenschaftlichen Leben sich gleich geblieben, und hat bei dem gegenseitigen freundschaftlichen Verhältnisse und der geistigen Regsamkeit der Männer, welche mein Collegium bilden, offenbar gewonnen.

Von 149 Schülern, welche nach dem Abgange vieler und nach der Aufnahme weniger neuer Schüler zu Ostern uns geblieben waren, sind im Laufe des Halbjahres 7 abgegangen: aus Prima, C. G. Merkel, v. Leipzig, auf die hiesige Malerakademie; aus Secunda, G. Theochar, ebend., welcher Kaufmann wird, und E. E. Bünger, aus Etzdorf, auf die chirurgische Akademie zu Dresden; aus Tertia, F. O. Hautz, aus Leipzig, um Apotheker zu werden, und H. R. Franke, ebend., Buchhändler; aus Quarta, J. Kreußler, ebend., Tischler, und aus Quinta, E. W. Uhmann, Alumnus zu Sct. Afra. So haben sich denn wieder mehrere Schüler andern Lebensberufsarten zugewendet, als dem Gelehrtenleben, für welches sie bei ihrem Eintritte in unsere Schule bestimmt gewesen sein mochten, und haben so theils den Zeitverhältnissen nachgegeben, theils sind sie ihrer inzwischen veränderten Neigung gefolgt. Es würde demnach nicht gut um sie bestellt sein, wenn unsere Schule, aus welcher von jeher, wie aus allen Stadtschulen der Art, eine größere Anzahl von Schülern zu nicht gelehrten Berufsarten übergingen, nicht eine auch diesen angemessene allgemeine Bildung mitgäbe. Dankbar haben daher auch viele Aeltern

tung unſerer Schule erkannt und gerühmt, daß beſonders für ſolche Schüler, welche ſich einem halbgelehrten Fache widmen wollen, das realiſtiſche Princip mehr hervorgetreten iſt, ohne daß das humaniſtiſche zum Nachtheil des Hauptzweckes eine Beſchränkung erlitten hätte. Denn alle Verſtändigen erkennen, daß die geiſtige Gymnaſtik auf keine Weiſe beſſer geübt werden kann, als durch das Studium der Sprachen, unter welchen die alten vor den neuen einen entſchiedenen Vorzug behaupten, daß aber, wer ſeine Denkkräfte gehörig üben will, für dieſen Zweck ſchon durch gründliche Betreibung des erſten ſyntaktiſchen Curſus viel gewinnt. Aber auch für den Deutſchen Sprachunterricht ſind in der neuern Zeit viele Fortſchritte gemacht worden. Namentlich wurden eben deswegen in der letzten Claſſe zu den Deutſchen Sprachunterrichtsſtunden noch 3 hinzugefügt, und in der vorletzten außerordentliche Uebungen neben den ſchon beſtehenden angeordnet. Die guten Früchte, welche dieſe Anordnung bereits getragen hat, haben dieſelbe ſchon gerechtfertiget, und verdienen daher inſofern erwähnt zu werden. Ebenſo iſt von dem geſchichtlichen Unterrichtszweige die neuere Geographie im Intereſſe der ſtudirenden und nicht ſtudirenden Jugend neben der alten in die mittlern Gymnaſialclaſſen neuerlich eingeführt, in den untern Claſſen neben dem Unterricht durch Wandkarten und Uebungen im Mappiren gefördert worden. Für den naturgeſchichtlichen Unterricht ſind botaniſche und mineraliſche Sammlungen angelegt, auch Bücher angeſchafft worden. Für den phyſikaliſchen Unterricht werden nach den gemachten Zuſicherungen uns ſehr vollſtändige Sammlungen in kurzem zu Theil werden. Auch hoffen wir mit dem neuen Schuljahre noch andere Einrichtungen von unſerer liberalen Behörde in's Leben gerufen zu ſehen, auf welche die Bedürfniſſe der gegenwärtigen Zeit uns hinweiſen. Es iſt aber ein vorzüglicher Ruhm unſerer Anſtalt geweſen, wie ſonſt, ſo auch in neuerer Zeit dem Bedürfniſſe der Zeit und des Orts durch liberale Gewährung zu genügen und im Intereſſe der Aeltern für den zweckmäßigſten Unterricht Sorge zu tragen, ſo aber ſich volle Anſprüche auf die Dankbarkeit des heranwachſenden Geſchlechts zu erwerben.

Sehr wohl hat es uns gethan, vom Herrn Buchhändler Köhler unſere Schulbibliothek in dieſem Halbjahre mit vielen nützlichen Büchern [illegible]en; ein ſchönes θρεπτήριον! Es ſind folgende: Caes[illegible]o et civili ed. Herzog. — Casauboni etc.

Notae in Diogenem Laertium ed. Hübner. 2. Bd. — Florus ed. Hübner et Iacobitz. — Hebräische Chrestomathie. — Quinctiliani Lib. X. ed. Herzog. — Reichard's geographische Nachweisungen ꝛc. — Seileri Indices in Demosthenis apparatum. — Völcker's mythische Geographie. — Valenti's italienisches Lesebuch. — Leben Josephs II. — Rostii opuscula Plautina, 2 Tom.

Einen Beweis von Dankbarkeit und Anhänglichkeit erhielt die Schule auch von dem Primaner Schütz, welcher jetzt die Universität bezieht, und bisher Bibliothekfamulus war, durch ein Geschenk an die Schulbibliothek, Klopstock's sämmtliche Werke. Wie sonst die Bibliothek vermehrt wurde, davon im nächsten Jahresberichte, für welchen wir uns auch noch andere Notizen vorbehalten.

Endlich hat das hohe Königl. Sächs. Ministerium des Cultus und öffentlichen Unterrichts unter dem 29. April d. J. eine Verfügung erlassen, daß die Nicolaischule, so wie die übrigen Gelehrtenschulen unseres Vaterlandes, von den mit gelehrten Abhandlungen erscheinenden Programmen, außer den bereits zu dem Austausch im Inlande angeordneten 25, noch 116 Exemplare zu Herstellung eines Austausches für die höhern Schulanstalten des Königreiches Preußen und für dessen hohes Cultusministerium vom künftigen Jahre an einsenden soll; eine Verfügung, welche um so dankbarer zu erkennen ist, da diese kleinen, oft sehr gehaltreichen Abhandlungen nicht immer bekannt werden, und, wenn sie nicht auch im Buchhandel erscheinen, auf einem andern Wege sonst schwer, ja wohl durchaus nicht zu uns gelangen.

Zum Schlusse lade ich unsere hochverehrten Herrn Patrone, Vorsteher, Schulcommissarien, sowie alle geehrten Gönner und Freunde, besonders die Aeltern der Zöglinge unserer Schule zur Anhörung der Prüfungen und Reden ergebenst ein, und bitte durch Ihre Gegenwart Lehrende und Lernende zu beehren und zu ermuntern.

Ordnung der Prüfung.

A. am 27. September von 8—11 Uhr.

Quinta und Sexta:

1) Religion, beide Classen, Adjunct. I.
2) Quinta: Nepos, Collega VI.
3) Sexta: Lat. Lesebuch von Jacobs und Döring, Adj. II.
4) Kopfrechnen, Math. II.

B. am 27. Sept. von 2—5 Uhr.

Tertia und Quarta:

1) Religion, beide Classen, Collega V.
2) Tertia: Xenophontis. Mem. S., Collega III.
3) Quarta: Jacobs Griech. Lesebuch, Adj. II.
4) Caesar, Collega IV.

C. am 28. Sept. von 8—11 Uhr.

Prima und Secunda:

1) Mathematik, Mathem. II.
2) Prima: Livius, Conrector.
3) Secunda: Cic. Epistolae ad Att., Collega III.
4) Prima: Sophoclis Philoctetes, Rector.

AD

EXAMEN PUBLICUM

DIEBUS XXI — XXIII. MENS. MART.

A. MDCCCXXXVI.

ACTUMQUE DECLAMATORIUM

DIE XXVIII. EIUSD. MENSIS

IN

GYMNASIO DRESDENSI

CONCELEBRANDUM

HUMANISSIME ET OBSERVANTISSIME INVITANT

RECTOR ET MAGISTRI.

Praemissa est Philippi Wagneri ad Chr. Ern. Aug. Groebelium epistola cum specimine novae editionis operum Virgilii.

DRESDAE

TYPIS C. G. GAERTNERI.

36.

VIRO GRAVISSIMO
CHRISTIANO ERNESTO AUGUSTO GROEBELIO,
GYMNASII DRESDENSIS RECTORI MERENTISSIMO
S.

Oblata hac scribendi aliquid opportunitate quum cogitarem, quid potissimum tractandum mihi sumerem, Tuum, Vir Spectatissime mihique Coniunctissime, secutus exemplum, in eiusmodi materia hoc, quidquid est, opellae collocare statui, unde aliquem fructum ad discipulos nostrae fidei commissos redundare posse sperarem. Nosti autem, ex quo maiorem profligavi Virgilii editionem, omnem curam in minorem, scholarum in usum adornandam, a me translatam esse. Itaque ut Tu nuper, Vir Eruditissime, quum eandem, quae nunc instat, sollemnitatem indiceres, novae editionis Sermonum Epistolarumque Horatii specimina, docta, Iupiter, et laboriosa, gratum munus sapientissimi poetae amatoribus obtulisti, ita ego nunc exiguam aliquam Virgilianorum carminum particulam brevi commentario illustratam proposui, non quo mea cum Tuis contendi compararique vellem, (neque enim hoc mihi assumo, nec est eadem utriusque nostrum ratio aut par consilium) sed ut cognoscerem hominum doctorum iudicia, maxime autem Tuum, cuius dudum suspicere soleo et mirificum acumen et elegantiam plane singularem.

Sed antequam ad ipsum Virgilium veniam, dicendum mihi aliquid videtur de omni hac ratione libros Graecos aut Latinos discentium in usum edendi. Qua de re praefantem idem me, qui saepe pungit animum meum, dolor incessit, quod multos hodie haud indoctos homines, sed nimis fortasse industrios, video his ipsis, quae ob eximiam quandam praestantiam ab humanitate nomen habent, literis abuti ad quaestum pecuniamque faciendam; quamquam est, opinor, communis haec aetatis nostrae labes et culpa, avaritiae et cupiditati ut alia honesta nomina, ita laudem gloriamque praetexentis. Neminem nomino; quos significem, sentient ipsi, ad quos spectat haec querela. Et quum ea lubentissime accipiant bibliopolae, quae scholis scripta esse profitentur ipsi auctores, quippe facillime et celerrime veneuntia, quasi agmine facto proruperunt, qui scholis sapientiam suam venditarent. In tanto talium librorum proventu iniuriosus sim, si omnes uno metiendos esse modulo contendam; fateor etiam esse in his, qui maxima laude sint dignissimi; alios, qui, etsi illorum praestantiam non assequantur, multum tamen utilitatis afferant discentibus; sed in quibus omnia summa sint, reperias paucissimos. Ac profecto editiones veterum scriptorum parare scholis servituras res est multo difficilior, quam plerique credere videntur. Qua in re quum duo sint potissimum cogitanda, et quem librum eligas, et cui quemque aetati interpreteris, ultro quasi tertium, quod requiritur, se offert, ut videas, quod vel liber, quem enarrandum sumseris, vel aetas, cui prodesse cupias, postulet genus interpretationis.

Iam illud primum recte a maioribus nostris institutum est, quod fere ea tantum veterum scripta in Gymnasiis, quae dicuntur, legi voluerunt, quae et ab obscena turpitudine abhorrerent, et orationis puritate, facilitate elegantiaque inprimis se commendarent. Qua ipsa re certi quidam fines constituuntur, quibus se omnis ista talium editionum procuratio contineat. Legantur igitur e Graecis poetis Homerus, Sophocles, Euripides, etiam Aeschyl[illegible] [illegible]iecerim Theocritum; at plane removendus est A[illegible] fortasse fabula, Pluto, ex-

cepta; e pedestris orationis scriptoribus Xenophon, Plato, Isocrates et Demosthenes, etiam vitae Plutarchi, tum quaedam Luciani scripta, praeterea particulae ex libris Thucydidis selectae; e Latinis Virgilius, Horatius, Tibullus, Terentius, tum quae severiore fronte scripsit Ovidius, ac praeter Ciceronem, quem prae ceteris quasi regnare in Gymnasiis velim, Caesar et Livius, etiam Sallustius et Tacitus. Sed in his ipsis est quidam instituendus delectus, nec omnium omnia scripta iuventutis ingenio sunt apta. Ex Aeschyli tragoediis duas tantum, Prometheum et Persas, enarrari in Gymnasiis posse intelligo; neque auctor sim cuiquam, ut eas ex Graecis orationes discipulis interpretetur, quae causas tractant privatas, nec, ut alios eiusdem scriptoris dialogos taceam, rem publicam Platonis cum discipulis legerim; quid, quod de Xenophontis Cyropaedia nihil, nisi primum librum in Gymnasiis interpretandum censeo; nec quae Cicero scripsit aut Terentius, omnia in scholis explicanda sunt. Sed non est, quod longus sim in ea re, quae nullius facile magistri fugiat intelligentiam. Itaque hoc satis fuerit addere, ex eodem scriptorum genere eligenda esse, quae in usum discipulorum velis commentariis illustrata edere.

Ex iis, quae supra posui, alterum est, ut perpensum habeas, cui aetati scribas. Hac de re expositurus video iam hic non posse plane praeteriri, de quo infra me dicturum professus sum, ipsum interpretandi genus. Velim igitur quattuor distingui aetates; quarum una est ea, quae cognitis non solum vocabulorum verborumquè formis, sed etiam legibus potioribus syntacticis primum ad scriptores veteres legendos accedere conata fuerit. Hic prope omnia spectant ad inculcanda praecepta grammatices; indicanda igitur, sicubi difficilior visa fuerit, constructio, quae vulgo dicitur; significandum, ubi opus, regimen Nominum ac Verborum, ubique digito ad libros, qui discentium manibus teruntur, grammaticos intento; quo accedat rerum huic aetatulae obscurarum brevis explicatio. Nec de eligendo, quem hunc in modum adornes, scriptore multum laboraveris; facillim[e] sumes, sed in eiusmodi arg[umento]

mento versantem, quod tenera ingenia capere et delectare possit; nec tantum curabis, quam idem sit comtus et elegans, quantum, ne sit negligens et horridus. — Altera aetas est eorum, qui iam quasi innutriti praeceptis Latinae grammaticae emendate scribere Iuliumque Caesarem legere possint. Horum studiis praeter ipsum Caesarem velificabuntur Cato et Laelius Ciceronis, tum ex poetis Ovidii Metamorphoses, Tristia et Epistolae ex Ponto; ex Graecis Anabasis Xenophontea, quidam dialogi Luciani, praeterea quaedam quasi praeexercitamenta epicae poesis. Eiusmodi libros qui huic aetati planos facilesque ad intelligendum reddere cupiet, non uno eodemque modo Graeca tractabit ac Latina. In illis incumbendum erit vel maxime ad syntaxin Graecam ita pertractandam, ut pueri potiorem eius partem memoria comprehendant, quo expeditius mox difficiliora possint aggredi. Contra in Latinis scriptoribus illustrandis ita versabere, ut rarius iam ac fere tantum, ubi res visa fuerit perplexior, aut ubi scriptor a communi usu ac vulgari consuetudine discesserit, ad Grammaticos remittas legentem; tum rerum, quarum a Lexicis aut nulla aut non satis explicata peti possit notitia, habebis rationem, notabis, si usus venerit, rariorem notorum alias verborum significationem, attendere oblata occasione etiam iubebis ad synonymorum, quae vocantur, differentias. — Accedimus iam ad eos, qui et aetate ingenioque valentiores et ipsa iam lectione bonorum scriptorum exercitatiores ad maiora possunt contendere. His inprimis Homerus, selectae Anthologiae Graecae carmina, Xenophontis Memorabilia, tum quaedam Luciani scripta, etiam una et altera vitarum Plutarchi legenda. Quorum Homerum quidem sine ullo alio auxilio legi velim praeter Buttmanni, vel Rostii, vel Matthiae, vel Kühneri Grammaticam et Lexicon Passowianum; *) temporis detrimentum faciet haec aetas,

*) Bonum factum! prodiit non multo postquam haec exaravi, liber dudum exoptatus quemque discipulis nostris maxime commendatum velim: *Vollständiges Griechisch-Deutsches Wörterbuch über [illegible] des Homeros und der Homeriden*

si alia adsumserit adiumenta. Nam vel quae laboriosissime diligentissimeque in Thierschiana Grammatica congesta sunt et constructa, magistris plus, quam discipulis, proderunt. Sed hac de re plura dicendi locus erit infra. Ex Latinis potissimum operam dabunt Livio, Ciceronis orationibus selectisque epistolis, etiam Sallustio, praeterea Virgilio, etiam Fastis Ovidii. Interpretis opera, praeter rerum, quarum iniicitur mentio, necessariam explanationem, hic, omittens vulgaria, consistet maxime in iis orationis partibus enucleandis, quae pueros etiam paulo longius in suis studiis progressos morari possint; hoc quoque curabit, ut discentes intelligant, quid sit cuiusque scriptoris, quem legunt, aut cuiusque generis scribendi proprium; raro descendetur ad quaestionem criticam. — Quartam denique aetatem eorum dicimus, qui primae Gymnasiorum classi adscripti sunt. Hi assidue in lectione Tragicorum, Demosthenis et Platonis exercebuntur, quibus addi poterunt Isocrates et Thucydides; ex Latinis Horatium, Tibullum, Terentium, *) Ciceronis libros philosophicos et rhetoricos

---

mit steter Rücksicht auf die Erläuterung des häuslichen, religiösen, politischen und kriegerischen Zustandes des heroischen Zeitalters und mit Erklärung der schwierigsten Stellen und aller mythologischen und geographischen Eigennamen, ausgearb. von G. Ch. Crusius. Hannov. 1836. 8.

*) Superioribus saeculis quum studiosissime lectitaverint Terentium, mirum videri potest, quod nunc idem paene exsulat a Gymnasiis. Nempe maiores nostri probe intelligebant, Terentii fabulas cognitu esse dignissimas vel, quod inde quasi e speculo omnis vita privata Atheniensium eluceret, vel, quod ex illis potissimum sermonis familiaris Romanorum facultas peti posset; quare qui Terentium aut Plautum non legisset, eum accurata iustaque linguae Latinae notitia carere iudicabant. Mansissetque Terentio suus honor in Gymnasiis, si non esset in eo peccatum, ut eo non, uti par erat, Primanis, sed fere Tertianis praelegerent magistri, ut in ipsa alma Schola Portensi eo quidem tempore, quo ipse versabar inter eius alumnos, fieri memini. Haec autem aetas quum abhorreret ab eiusmodi scriptor- cuius virtutes recte aestimare ingenii sit magis iam

Tacitumque plurimum volvent; pergent iidem magnum studium in orationibus Ciceronis collocare. Multa habent hi scriptores, quae inprimis accuratam postulent interpretis diligentiam. Primum in his scriptoribus multae obvenient res vel ad omnem antiquitatem, vel ad morem theatri foriique, vel ad philosophorum rhetorumque doctrinam pertinentes; tum genus dicendi a Tragicis usurpatum erit illustrandum, nec metrorum ratio negligenda; numeri etiam solutae orationis attingendi, et sicubi libri mss. gravius inter se dissentiunt, experienda erunt discipulorum ingenia.

Sed longe difficillimum est, recte interpretari scriptores veteres. Nam hoc tertium erat, quod editiones in usum discentium curanti spectandum esse diximus. Hic vero primum illud refert, utrum id agas, ut liber ad eum finem adornandus a magistro cum discipulis legatur, an, ut domestico discipulorum usui, sive privatae, quam dicunt, lectioni, serviat, an denique, ut utramque hanc utilitatem coniunctam habeat? Triplex igitur quum sequi possis in eiusmodi re consilium, dicam primum, quid sentiam de illo, quod primo loco posui, editionum genere. Et in hoc quidem omnes officii tui partes impleveris, si textum, quem vocant, reddideris quam maxime fieri poterit, emendatum, omnis adnotationis expertem. Quorsum enim notis instruas libros a magistro explicandos, quem multo melius nosse ac persentiscere necesse est, quid suis discipulis opus sit? aut si magistrum ipsum non satis vel ingenio vel doctrina valere putas, ne sic quidem multum proderit opera tua; nam eiusmodi magister, ne si optima quidem habeat adiumenta, muneri suo satisfaciet; et in tanta, quanta nunc est, bonorum magistrorum copia non est, quod scribas imperitis, qui, siqui sunt, arcendi sunt a scholis et meliores in locum eorum substituendi, aut aliquo modo ferendi.

---

politi, factum est, ut a pueris ipsis contemneretur ac semel contemtus negligeretur etiam a provectioribus, quippe quantum taedii sibi olim devorandum fuisset reminiscentibus.

Praeterea quum libri notis illustrati maiore veneant pretio, bestiores tantum discipuli, i. e. pauciissimi, parare sibi eos possunt; si quid igitur commodi ad quosdam inde redundare potest, nihil ea re iuvantur ceteri, tantumdemque vel operae vel temporis in enarrando consumendum erit, quantum, si omnes tali adiumento carerent. At quod est longe gravissimum, non possum satis mirari errorem insignem multorum hominum non solum mediocriter doctorum, sed eruditissimorum, qui ita se optime de pueris mereri arbitrantur, si omne ad doctrinam assequendam iter tam planum reddiderint atque expeditum, ut remota omni difficultate, quae ingenium exercere possit, nihil iam ad discendas literas sit afferendum praeter mediocrem quandam vim memoriae. Nihilne isti cogitant, quantum momenti vel ad ingenia excitanda, vel ad acuendum iudicium in eo sit positum, ut mature pueri assuefiant suas vires tentare, nulla deterreri difficultate, nullum subterfugere laborem? Aut quo animo accedent, si quando usus venerit, ad res magnas gravesque, qui se iis adminiculis destitutos videbunt, quibus antea quasi applicati sustinere se vix potuerunt? Itaque videndum est, ne, dum velis prodesse pueris, inertes eos mollesque reddas, neve, quum hae literae inprimis efficaces sint ad animos omnis amore virtutis, constantiaeque ac fortitudinis laude incendendos, iisdem abutaris ad frangendas effeminandasque mentes. Nolo commemorare maiorum exempla, qui, etsi multis magnisque illis, quae nobis parata sunt, auxiliis carebant, tantum complexi sunt scientia, quantum vix quisquam eorum, qui nunc inter ceteros excellere dicuntur; quid est, quod acriores animo admoveat stimulos, quam ipsa rerum difficultas? aut quod plus eidem afferat voluptatis, quam aliam difficultatem ex alia superasse? quod denique magis confirmet eum corroboretque, quam certior in dies spes eo, quo intenderit, perveniendi, et penitus infixa eventaque comprobata opinio, nihil arduum esse audacibus? Deme hunc spiritum adolescentiae: demseris omnem ingeniorum ardorem et quasi fomitem.

Quo plus verborum hac in re effudi, eo br

esse licet de secundo tertioque genere dicenti. Quis enim non fateatur, quum multa in libris veterum inveniantur, e quibus puer vel alacerrimi sagacissimique ingenii extricare se ipse non possit, vel quorum non habeat unde petat accuratiorem notitiam, eiusmodi editiones ei in manus esse dandas, quae difficilia explanent, obscuris lucem affundant? Ac sunt quidam libri tam copiosi et spissi, ut non possint toti in scholis explicari et fere maxima ex parte domesticae discipulorum lectioni relinquendi sint. In his autem ipsis numeramus quosdam ita comparatos itaque ingenia puerorum trahentes, ut totos ab his non legi solum, sed imbibi velis, ut Xenophontis Anabasim, Commentarios Caesaris, Ovidii Metamorphoses, Virgilii Horatiique et quaedam Ciceronis opera; nam de Homero, ne quis eum hic praetermissum miretur, infra dicam. Itaque tales libros vel maxime in usum discentium ita adornatos cupias, ut etiam sine magistro a pueris facilius legi possint. Verum aliam editor sequetur, aliam magister in enarrando rationem ac viam. Ultro enim devenimus ad illud, quod longe maximum est et gravissimum in hac causa, quo utaris interpretandi genere.

Atque hoc quidem sponte intelligitur, non omne genus omni libro aut omni aetati aptum esse. Sed ad totum hunc locum pertinent pleraque, quae supra disputavimus de discrimine aetatum diligenter servando, tum ea, quae infra dicentur, quum exponetur de consilio, quod in nova editione Virgilii secutus sum. Nunc satis erit duplex notare vitium, quo plurimas eiusmodi editiones contaminatas video. Primum igitur illa perversitas multorum est exagitanda, qui veteres libros notis scribendis servire, non notas libris intelligendis scribi existimare videntur. Et ut grata doctis esse potest varia et multiplex exquisitae eruditionis copia collata in editiones provectiori et maturiori aetati curatas, ita nihil magis fugiendum est ei, qui pueris et adolescentulis prodesse instituit, quam quaedam notarum abundantia et quasi luxuria. Id spectare oportet interpretem, ut expeditius celeriusque scriptor, quem interpretatur, legi intelligique possit; itaque nihil in notis po-

nendum, nisi quod ad illam rem consequendam maxime necessarium visum fuerit. Et quum in scholis nihil debeat omitti, quod ad librum, quem praelegis, accurate explicandum pertineat, multum ab hoc magistri discrepat editoris officium. Hic quidem multa, et saepe plurima, quae vel ex Grammatica, vel e Lexico cognosci possunt, omittet, neque quidquam interpretabitur, nisi quod tacente interprete verendum erit ne non intelligatur vel perperam accipiatur a legentibus. Non enim refert, ut quam plurimas notas, sed ut quam plurima veterum scripta legant discipuli; quippe nihil est stultius et nocentius eorum opinione, qui antiquitatis ingenium melius ex Notis cognosci putant, quam ex multa assiduaque ipsorum veterum scriptorum lectione. Ad hanc qui sedulo incumbunt, nihil ab interprete admoniti sponte magnam vim rerum vel ad linguae vel ad antiquitatis cognitionem pertinentium memoriae mandabunt, nec nimis saepe multarum aut longarum adnotationum lectione interpellati dum ad ipsum scriptorem toto erunt conversi animo, plus inde ad omne ingenium excolendum redundabit emolumenti, quam ex verbosa, quamvis docta, interpretatione. Inprimis autem cavendum, ne libri ampliores notarum mole onerentur, ii praesertim, qui in tali argumento versantur, ut, nisi totos animo comprehendere memoriaque complecti possis, is ipse fructus pereat, qui maximus est vel ad voluptatem vel ad utilitatem, eum dico, qui percipitur ex quadam totius rei contemplatione in unum quasi conspectum cadentis. Magis hoc etiam, quam ad ceteros, spectat ad poetas horumque maxime ad epicos. Et Homerum quidem iam supra significavi a discipulis optime legi sine notis. Tanta est enim apud eum sententiarum simplicitas, ut ab hac parte nihil magnopere interpretis opera indigeas. Hunc autem quum ab omni discipulo totum legi oporteat, in tanta Homericorum carminum amplitudine necesse est nullas obiici notarum moras legenti, ne, quo plus temporis in eo legendo conteratur, tanto facilius lecta ex animo effluant. Nec soleo equidem commendare discipulis nostris libellos, quos multi scripserunt, quibus tamquam aditum ad lecti- poetae aperirent

patefacerent; qui quae continent, ea discentibus inter legendum sponte se offerunt pleraque. Quae autem spectant ad penitius cognoscendam Homeram, plurima a magistro in scholis accipient discipuli. Itaque aut praeclare fallor, aut ne illi quidem libri, elegantissima doctrina referti, Buttmanni Lexilogus et Odyssea a Nitzschio illustrata, discipulis Gymnasiorum in manus sunt tradendi. Quod qui faciunt, nae isti committunt, ut verum iam videri debeat opprobrium illud, quod nunc a multis imperitis iacitur in Gymnasia, id magistros scilicet laborare quaerentibus, at discipuli sui pueri puti fiant, qui tamquam proprio nomine appellantur, philologi, (id est, ut isti arbitrantur, argutiarum grammaticalium inventores, variantium lectionum venatores, de lana caprina tamquam de regno Thebano certantes, denique inania cymbala et tintinnabula;) quod quidem, si quid video, non multo secus vitiosum erit, ac si inveniantur in Gymnasiis magistri, qui id sibi praecipue agendum putent, ut ea discant discipuli, quae in Universitate Literarum cognoscenda sunt iis, qui vel Theologiae operam dant, vel Iurisprudentiae, vel medicae arti, vel rebus mathematicis et physicis. Ceterum graviter errant, qui summam rem in discrimine versari existimant, si discipulus in tam longo opere, quale est Ilias et Odyssea, multa non satis recte intellexerit. Qui mihi videntur eorum similes, qui puerum in statuarii alicuius disciplinam se tradentem velint statim omnia ad artis praecepta facere quam fieri possit exactissime, nec ullum statuant ignoscendo locum, si quando aberraverit manus a linea aut aliquid fregerit.

Et plerique, qui scriptores in gratiam discipulorum illustratos edunt, peccant in eo, quod iusto sunt copiosiores. Rarius multo evenit contrarium, ut nimis sint parci et restricti. Fit tamen hoc quoque, ut, qui alias optime viderunt, quid vel dicendum esset, vel tacendum, silerent, ubi operam eorum desiderant discipuli vel maxime. Casu, dum haec scribo, incido in Tristia Ovidii ab Jahnio, viro et doctissimo et prudentissimo, edita. Ibi l. II, 211 sqq. haec leguntur:

Altera pars superest, qua turpi carmine factus
Arguor obsceni doctor adulterii.
Fas ergo est, aliqua coelestia pectora falli,
Et sunt notitia multa minora tua.

Hic admonendi erant pueri, ipsam hanc alteram defensionis partem initium capere a versu demum 239.; indicandum etiam breviter, quo vinculo verba vss. 213. sqq. cum superiore disticho coniuncta essent et qua ratione omnia ista, quae leguntur usque ad vs. 238., ad rem causamque pertinerent. Paucis defungi licebat, hunc fere in modum: „Crimen turpissimi „magisterii ita studet poeta infirmare ac diluere, ut ex ipso „libro, unde crimen illud in eum redundarat, afferat ea, quae „id, quod probro ei datum erat, totum excludant, vs. 245— „250.; at non legisse haec Augustum, utpote longe maioribus „bus in rebus occupatum, probat vss. 213—238.; ipsam „causam dicit vss. 239 sqq." Nec illud erat tacendum, quod vs. 263. legitur „*Persequar inferius*," quo spectet. Interpositis enim ipsis centum versibus poeta redit eo, unde deflexerat. Sed quoniam semel huc delati sumus, illud etiam addo, perturbari legentem signis interrogandi versibus 214. et 218. appositis; sunt ea, quae ibi leguntur, non rogantis, sed affirmantis. Et infra vs. 261. ita scriptum velim:

Sumserit, AENEADUM GENETRIX ubi prima,

i. e. si sumserit eum librum, cuius in primo ingressu haec leguntur: *Aeneadum genetrix*, i. e. carmen Lucretii. Parum commode Jahnius: „*Si sumserit annales*, disticho superiore commemoratos, *requiret*, *ubi prima Aeneadum genetrix sit*, i. e. *legatur*, *et*, *postquam Venerem invenerit*, *requiret*, *unde*, i. e. *a quo*, *Venus sit*, sive *facta sit*, *genetrix Aeneadum*." Ceterum poterat, si opus videbatur, iste usus voc. *primus* aliquo modo illustrari eiusdem carminis versu 373.:

Quid prius est illi (*Iliadi*) flamma Chryseidos?

Sed quum longe plenius accuratiusque omnem hanc materiam pertractare et possem et fortasse etiam deberem, praefinitum apud nos severa lege talibus scriptionibus spatium iubet me vela contrahere, finemque imponere huic commentationi,

ut ad id veniam, quod in fronte huius libelli professus sum. Dudum inter me et honestissimum Redemtorem maioris Editionis Virgilii convenerat, ut illa absoluta novam eamque quam fieri posset minimo pretio parabilem, uno, eoque modico, Volumine comprehensam, in usum discentium adornarem. Itaque edito ultimo illius Editionis Tomo statim hanc minorem aggressus sum. Ac dici vix potest, quantum ea res me exercuerit, res videlicet duas maxime sibi contrarias una opera complexurum, et accuratam interpretis diligentiam, et eam brevitatem, quae quum summa esse deberet nihil tamen, quod explicatum velles, praeteriret. Effectum tamen iam reddidissem consilium semel susceptum, si non in medio cursu maximis retentus essem impedimentis, quae quidem hic exponere nihil attinet. Quam autem in ea re secutus sim rationem, partim ex iis, quae supra disputavimus, intelligi potest, partim nunc dicetur; et dicetur ita, ut ipsa superior disputatio iis, quae iam dicturus sum, vel suppleri queat, vel illustrari.

(1) Primum igitur, veram ac solidam doctrinam in hoc genere ex eo maxime elucere ratus, ut ubique videas aptisque verbis declares, quae sit ipsius scriptoris mens ac sententia, vitavi omnem doctrinae cuiusdam exquisitioris ostentationem, inprimisque illud cavendum mihi duxi, ne legentum impetus frangatur Notarum amplitudine; etenim, ut supra dixi, non ut tardemus studium legentis, sed ut adiuvemus, scribendae sunt Notae in usum discipulorum. (2) Quidquid igitur ipse invenire puer facile posse videbatur, ipsi inveniendum reliqui; interpretatus sum ea, in quibus haerere eum posse existimarem; sed id ipsum saepe ita feci, ut satis putarem, digitum quasi ad verum videndum intendere. Quum autem nec idem omnium sit ingenium, nec eadem doctrina, ei, qui ab alterutra parte ad legendum Virgilium instructior accedet, auctor sum, ut, ubicumque sibi omnia satis plana et expedita visa fuerint, ne inspiciat quidem Notas. (3) Ubi ambigua videri potest poetae sententia, unam fere proposui explicationem eam, quae mihi videretur ceteris probabilior. (4) Et facilior ad intelligendum quum sit Aeneis, quam Bucolica et Georgica, in illa

enarranda brevior essem necesse erat, in his paulo copiosior. (5) Nusquam remisi legentem ad veteres scriptores vel libros grammaticos, nisi ad notissimos, quosque omnibus ad manum esse iudicarem; sicubi tamen etiam aliorum mentio facienda esset, adscripsi verba ipsorum. Et quum illorum opinioni occurrendum putarem, qui veteres scriptores non tam ipsorum causa, quam Grammaticae discendae studio legendos arbitrari videntur, id mihi magis suscipiendum duxi, ut sententiam poetae aperirem, quam ut rationes grammaticas ubique excuterem. Raro etiam attigi ea, quae posita sunt in re prosodiaca vel rhythmica, aut quae ad poeticam dictionem a pedestri distinguendam pertinent; haec quoque ab hac aetate melius lectionis assiduitate cognosci ratus, quam praeceptorum ieiunitate. (6) Bucolicis praemisi Argumenta, quo facilius cuiusque carminis rationem et οἰκονομίαν contuerentur singularumque partium coniunctionem viderent et quasi conglutinationem. Nolui idem facere in longiore carmine, Georgicis, quorum Argumenta minus facile memoria comprehendi putarem. Itaque in hac parte consultius duxi, varium rerum ordinem suis locis indicare; qui idem quum in epico carmine se ipse ultro prodat, in Aeneide neutrum faciendum putavi. (6) Videor autem mihi ea, quam exposui, ratione id assecutus esse, ut et pueri Virgilium legere possint sine magistro, et magistris tantum relictum sit, ut et illi satis habeant adiumenti, nec hi quasi dictata tantum recoquere cogantur. (8) Verborum scribendorum (Orthographiae) retinui eam fere rationem, quae cernitur in maiore Editione; interpunctio, qua usus sum, prope eadem est, quam sequitur Jahnius. (9) Diversae lectionis mentionem raro feci et iis quidem locis, ubi eam rem ad ingenia legentium acuenda pertinere posse arbitrarer. (10) Retinui multis locis ipsa aliorum interpretum verba, quibus et recte et satis breviter rem illustratam intelligerem. Non putavi autem acquiescendum mihi esse in iis, quae adhuc inventa essent. Itaque et haec denuo diligenter expendenda existimavi, et, si quid illis melius excogitasse mihi viderer, id in novam hanc Editionem conferendum. Quare eadem quodam modo pro

Supplemento, quod vocant, maioris Editionis haberi potest. Eorum autem, qui, postquam maior Editio a me curata in lucem prodiit, attulerunt aliquid ad Virgilium vel emendandum vel interpretandum, longe optime rem gessit J. L. Weickertus, Conrector Gymnasii Luccaviensis, Vir aeque ingenii acumine ac doctrinae elegantia praestantissimus; quamquam huius unius honorifica commemoratione nihil derogatum volo aliorum laudi. Scripsit hic „Annotationes in Aeneidos libros II. priores.“ Verbosae Editionis maioris Censurae, quae insertae sunt Ephemeridibus scholast. Darmstadiensibus et Diariis literariis Halensibus, quod operae pretium sit, vix unum et alterum afferunt.

Et Graserus quidem, Halensis Censor, multa ita disputavit, ut, qui non diligentius rem causamque cognoverit, vera esse credat. Qui quum carpit ea, quae in extrema Praefatione scripsi, reprehendit, quae sunt omnium integerrima, nihil contra offenditur ea re, quae vere reprehendi possit, quaeque ita est comparata, ut, quum illa scripsissem, vix a me impetrare potuerim ut servarem. Omitto illa, quippe nihil ad eam, quam cum maxime paro, Virgilii editionem pertinentia, quae idem disseruit de Pronominibus *Is* et *Hic;* *) quamquam hoc moleste feras, quod Vir humanissimus, si quid est in eiusmodi argumento, quod ipsi displiceat, meras crepat tenebras et omnia mixta et confusa iactat. Nimium scilicet suo tribuens acumini confidentius pleraque pronuntiat facitque acute videndo ut parum aut nihil videat. Et quum Vir elegantissimi sagacissimique ingenii, Weickertus, in primis quinquaginta versibus l. I. Aeneidis, nihil a me scriptum invenerit, quod sibi magnopere displiceret, mirum profecto videri potest, quod Graserus ita crebras dissentiendi causas reperit; qua in re Grasero etiam accidit, ut interdum vel a me vel ab aliis inventa probaret, quae, quum falsa esse intellexissem, ne digna quidem habui, quae commemorarem; ut Ecl. III, 109. sq.:

---

*) Dicetur de hac cens[illegible] [illegible]nae parte alio tempore.

Et quisquis amores
Aut metuet dulcis, aut experietur amaros.

Ita apud Heynium. Corrupta haec esse omnes iam, puto, mecum sentiunt, in his etiam Graserus. Multa, ut fit, tentavi tum, quum de his versibus esset quid statuerem dicendum; nulla emendatio satis placebat; itaque praeter unam, quae paulo videretur tolerabilior, omnes tacendas iudicavi. Praeter alia etiam hoc tum in mentem mihi venit, quod postea a Kaestnero prolatum vidi, qui omnia belle se habere arbitratur, si scribas:

Haut metuet dulcis, *haut* experietur amaros.

Idem nunc probat Graserus. At ita si scripseris, aut languebit mirifice epitheton *dulcis* eo loco positum, aut, si vim quandam in hoc epitheto inesse volueris, ineptam efficies sententiam: „Dulcedinem amoris quisquis non metuet, non experietur einsdem amaritudinem.“ Metuimus quippe ea, quae periculum creare nobis videntur. Atqui sunt, fateor, qui dulce venenum amorem esse dicant. At venenum, quod non metuis, etiamsi dulce fuerit visum, propterea non minus noxium experieris et amarum. — Ge. IV, 505.:

Quo fletu Manis, qua numina voce moveret,

miratur Graserus, quod nihil curaverim lectionem *Quos — quae*. Nempe certa constare debet ratio, ubi vel dicas aliquid, vel sileas. Tennia sunt et incerta eius lectionis vestigia; et Romanus quidem codex, qui solus habet *Quos*, multis locis vitiosissime scriptus est; *qua* autem ita positum facillime in *quae* mutari poterat. Nec tamen nego, potuisse Virgilium isto modo scribere. Itaque quum eo loco viderem me dicendo nihil posse proficere, malui silere, nemini invidens, quin divinando, si posset, id assequeretur, quod ego, quia non sum Oedipus, assequi non potui. Atque iam hoc loco illud mihi dicendum est, multa me vel non scripsisse, vel brevius dixisse, atque interdum significasse tantum, quae lectores earum rerum non plane imperitos ipsos videre et intelligere iudicarem. Tale est etiam illud, quod ibid. vs. 509.:

Flevisse et gelidis haec evolvisse sub antris,

in cod. Rom. legitur *Flesse sibi*. Quod etsi non sum nescius, quomodo interpretari liceat, vides tamen ipse, quisquis haec legis, primum codici mendorum plenissimo non esse tantum auctoritatis, ut propter unius testimonium semel receptam eamque bonam lectionem deseramus; tum sentis haec ipsa *Flevisse — evolvisse* habere aliquid flebile inprimis huic loco aptum; vide sis a me notata ad Ge. I, 157. Quod autem Graserus levitatem mihi exprobrat, quod ibid. vs. 506. propter ea, quae vs. 503. leguntur, suspectum habuerim, facile eo me consolabor, quod multos fore intelligo, qui huius levitatis societatem non recusent. Atque ut largiar Viro doctissimo acutius eum hoc loco vidisse, certe vitanda erat ista maledicti contumelia. Quid? quod etiam gravissimis viris accidere interdum potest, ut aliquid dicant cum sua gravitate et constantia non satis congruens; num iis propterea levitatis notam continuo inures? aut quae sibi faciet convicia Graserus, quum infra cognoverit, quot quibusque modis ipse erraverit? Certe illud haud ita mirum videbitur, eum, qui et plurimis et gravissimis negotiis districtus magno operi tamquam aliud agens invigilaverit, interdum dormitasse; at qui aliorum errores corrigendos suscepit, eum minime decet aliis aliisque irretiri erroribus. — Sed ista ἐν παρόδῳ tetigit Graserus; veniamus iam ad ipsam Aeneidem. Et hic quidem in ipso quasi ingressu evidentissimis argumentis se effecturum profitetur, quattuor istos versiculos „*Ille ego ..... Martis*“ non esse ab ipso Virgilio scriptos. Esse hos versus carmine epico indignos viderunt omnes. Tribuunt eos tamen Virgilio veterum Grammaticorum testimonia. Multa quidem tradiderunt Grammatici inepta, falsa, parum explorata. Sed quum sit iniquum statuere illos ne voluisse quidem veritatem sequi, quumque, qui interdum vana locuti sunt, iis non continuo fides omnium rerum detrahenda sit, non prius licebit horum testimonia contemnere, quam falsa esse usquequaque appareat. Atque in ipsis illis versibus ne ipse quidem Graserus quidquam invenit, quod a Virgilio scribi non potuerit. Nam quod vocem *Carmen*

ita positam vehementer languere dicit, id vitium, si quod est, vel occultatur numerorum incitatione, vel tollitur vi subiectae copulae; de qua re expositum est a me Quaest. Virgil. XIII. Aeque leve, aut etiam levius est alterum, quo utitur Graserus, argumentum: verba *Gratum opus agricolis* otiosa esse et scripta ab alieno laudatore. Vereor autem, ne videar iniuriam facere Viro doctissimo, si eo maxime offensum putem, quod poeta sua ipse laudet carmina, quod veteres poetas sexcentis locis fecisse constat; illud igitur, quod prius posuit, quam vim habeat, videndum erit. Et quum versibus 2. et 3. Georgica ita sint significata, ut ea, quae subiiciuntur, *Gratum opus agricolis*, si omissa essent, non essemus desideraturi, non tamen continuo inde sequitur eadem esse otiosa et plane praeter rem addita. Nempe si omissa essent, nihil aliud poeta, nisi quis esset novi auctor carminis declararet, eum videlicet, qui antea res rusticas cecinisset, Virgilium; nunc vero quum haec legantur adiecta *Gratum opus agricolis*, non solum quandam nominis sui notam his versibus contineri voluit, sed ad ipsam horum carminum diversam rationem ac naturam respicit, ea, quae ante scripserit, agricolis, placato et tranquillo generi, grata esse dicens, nunc quae componat, plane illis esse contraria, discordiae, turbae, caedis plena; id quod illustratur per grave illud *at nunc*. Ac si Virgilius ipse ab hoc demum versu *Arma virumque cano*, ut debuit, orsus est Aeneidem, quid vetat, ne eundem statuas illos versiculos praemisisse uni vel paucis exemplaribus huius libri, quae ita amicis mitteret, ut his versiculis pro subscriptione uteretur? At recte detractos esse a Tucca et Vario totum opus quasi recensentibus nec ego negavi, nec facile quisquam alius negabit. Nam Tuccam et Varium id fecisse quum Grammatici testentur, non est, quod dubitemus, si verum eosdem referre credimus, quod omnes semper crediderunt, etiam eos versus, qui Aen. II, 567—588. leguntur, ab illis esse rescissos. At iam illud velim respo[illegible] doctissimo Grasero, [illegible]us non sint a Vir[illegible]fecti, a quo v[illegible]riptos existime

aliquo? at parum est probabile, venisse hoc in mentem cuiquam, praeter ipsum poetam, ut haec praetexeret. Atque ipsi hi versus ita sunt comparati, ut, qui antiqua a recentioribus distinguere didicerit, etsi huius quaestionis causa quattuor non amplius versiculis contineatur, facile sibi persuadeat scriptos esse Augusti aetate: ita integra est et incorrupta oratio, ita pura, simplex et elegans, ita ab omni inepto lenocinio abhorrens, ita denique libera ab omni imitationis vestigio, ut prope nulla fraudis suspicio relinquatur. Longe distat ab hac Grammaticorum, imitatorum posteriorumque poetarum ratio. Quid? quod, Santenium si audiamus, (ad Hier. Balbum p. 182.) erit etiam, qui ipsa haec Virgiliana respexerit, Propertius II, 10, 3. edit. Burm. Denique vide, quam submisse poeta primum dicat de Bucolicorum genere, quam ornate de Georgicis, quam graviter idem de bellicis rebus! Videre autem, quid cuique rei aptum sit, boni est, non mali et vulgaris poetae. Sed haec hactenus.*) — Aen. I, 2.:

Italiam, fato profugus, Laviniaque venit
Litora.

Non improbat quidem Graserus, quod ego edidi, *Laviniaque*, sed tamen, nisi criticae rationes pro illo pugnarent, reiectam a me lectionem *Lavinia venit* retenturum fuisse scribit; licere enim ita loqui: „*Er ist nach Italien gereist, nach Rom.*“ Ut igitur hoc concedamus, quis tamen scriptor paulo tolerabilior ita locutus est? aut si fuerunt e melioribus, qui ita balbutirent, exemplum certe aliquod afferendum erat; in eiusmodi enim re non satis est probare ita fieri potuisse, sed necesse est ostendere ita factum esse. — Vs. 4.:

Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram.

---

*) Haec scripseram, quum mihi affertur liber praeclarus, quem Vir Spectatissimus, ingenii aeque ac doctrinae laude florentissimus, Augustus Weichertus, modo in lucem edidit, „*De Lucii Varii et Cassii Parmensis Vita et Carminibus.*“ Is pag. 69. not. 61. idem se de his versibus, quod me, sentire scribit.

Negat Graserus certum aliquem deum vel deam, ut ego contendi, scilicet ipsam Iunonem, vocabulo *superum* significari. At si latius pateret illud *superum*, ut vult Graserus, nemini aqua haesisset in expeditissima sententia. Nunc vero constat praeter Iunonem neminem ex diis superis infensum fuisse Aeneae; causam autem istorum malorum quum tribuit Virgilius irae Iunonis, ita hoc facit, ut eandem deam effectricem eorum fuisse velit. Nam quod Aeneas versu superiore dicitur *multum et terris iactatus et alto*, haec non eo spectant, quod Aeneas ipse auguriis deorum (Aen. III, 5.) agi se ac sequi fatetur, quo fata trahant retrahant, (Aen. V, 709.) has enim iactationes non, ut illas, (cf. etiam Aen. XII, 803.) propter iram Iunonis expertus est. Itaque aut omittenda erant illa *Vi superum*, ut inania, aut, quum ea adiecerit poeta, ita accipienda, ut eo modo dicta existimemus, quem ad eum versum explanavi. Eurip. Heracl. 348—53. Elmsl. quum plurali θεοῖς usus esset, ostendit deinde unam esse intelligendam Minervam:

ΘΕΟΙΣΙ δ'οὐ κακίοσι
χρώμεσθα συμμάχοισιν Ἀργείων, ἄναξ.
τῶν μὲν γὰρ Ἥρα προσατεῖ, Διὸς δάμαρ,
ἡμῶν δ' ΑΘΑΝΑ. φημὶ δ'εἰς εὐπραξίαν
καὶ τοῦδ' ὑπάρχειν, ΘΕΩΝ ἀμεινόνων τυχεῖν·
νικωμένῃ γὰρ ΠΑΛΛΑΣ οὐκ ἀνέξεται.

cfr. quae infra scripsimus ad Virg. Ecl. IV, 49. Si quid igitur praeterea Grasero displicet in ea re, Virgilium velim, non me, meliora doceat.

Accedimus iam ad illa ab aliis aliter accepta verba, quae leguntur vs. 8.

quo numine laeso.

Quae quum intellexissem non facile alia ratione recte posse explicari, quam ea, quae inita est a me, Graserus eandem vehementer improbat. Sed antequam, ego quid sentiam, exponam, c[illegible]n erit cognoscere, Graserus

tuat de hoc loco, iniuria vulgo in difficillimis habito. Is vero nihil, nisi in Wunderlichiana interpretatione acquiescere se scribit. Mirabar, quum haec legebam, quod, quum ego miram illam rationem Wunderlichianam silentio praetermittendam duxissem, ea res non admonuisset doctissimum Graserum. Nempe Wunderlichium quum, ut debeo, plurimi faciam, maximam partem eorum, quae scripsit ad Virgilium illustrandum, in editionem a me curatam transtuli. At illo, de quo nunc agitur, loco ne verbo quidem attigi eius sententiam, quippe ita aperte falsam, ut religiosum videretur, propagare eiusmodi errores, qui famam doctrinae Viri praestantissimi possent aliquo modo in dubitationem adducere. Sic igitur ille: „*Numen est laesum*, h. e. consilium deae, id quod concupivit, ad irritum cecidit. Cupiebat autem Carthagini imperium orbis terrarum parare; quae optata per Aeneae posteros irrita fore sciebat. *Dolens* magis ad Paridem et Ganymedem spectat.“ At primum qui sermonis poetici accuratiorem habet notitiam, non ignorabit, *laesum numen* semper ita dici, ut sit i. q. *laesus deus; laedere numen deorum* i. q. *laedere deos;* adiuncta quidem hac cogitatione: grave esse deos laedere, utpote longe potentissimos. Numquam autem vocabulo numinis adhaeret significatio consilii sive, ut Vossius statuit, voluntatis; deinde fallitur Wunderlichius, quod verba *numen laesum* ad cladem Carthagini a Romanis impendentem spectare putat; quod quum sit, ut Ieti loquuntur, gravamen de futuro, non illo iam tempore numen Iunonis ea re laesum esse poterat; futurum erat, ut laederetur; denique *dolens* minime ad ea referre licet, quae infra de Paride et Ganymede leguntur; hanc enim causam particula *etiam* vs. 25. aperte ostendit non iam superiore oratione esse comprehensam, sed plane novam accedere. Mirum est tot errores alium super alium cumulari potuisse a viro eruditissimo, magis etiam mirum cuiquam talia persuaderi. Nihil igitur restabit, nisi ut ad eam rationem revertamur, quam ego satis habueram magis significare, quam explicare. Itaque illo loco ita scripseram: „Pronomen *Qui* non raro ita ponitur, ut modum, quo quid fiat, similesque notiones includat.“ —

Omissis, quae sunt ab hoc loco aliena, unum illud *quo numine laeso* quomodo dictum sit, videamus. Utimur autem vel ubi aperte negamus, vel ubi id, quod audivimus, mirum esse et vix credibile significamus, pronomine illo saepe ita, ut non illud quaeramus, plura quum sint, quid ex his potissimum intelligendum sit, sed ut vel non intelligere, vel indignari, vel mirari nos indicemus, quomodo quis contendere possit illud, quo spectat eius oratio. Ut si quis alterum arguerit certam quandam iniuriam fecisse cuipiam, poterit is, qui ita insimulatus fuerit, respondere: „Quam feci iniuriam?“ non quo ipsum genus iniuriae quale sit exquirat, sed quo totum illud neget, hanc a se allatam esse iniuriam; unde haec existit sententia: „quomodo, s. quo iure potes contendere, hanc a me factam esse iniuriam?“ sive: „quomodo tandem te laesi?“ Atque hoc est illud *Quomodo*, quod offendit Graserum; qui quum illud, quod excitavi ex Cic. Rep. I, 36.: „Imitabor Aratum, qui magnis de rebus dicere exordiens ab Iove incipiendum putat. (Lael.) Quo Iove?“ hoc, inquam, quum ita elevat, ut dicat esse hoc idem, quod „*quem tandem Iovem narras?*“ primum ipse non explicavit, quae esset vis eius dicti, tum non vidit, hoc longe aliud esse, quam illud *Quo Iove?* Hoc enim quum dicat is, qui nescire se atque etiam mirari fatetur, quare Iovis mentionem alter iniecerit, illud contra „*quem Iovem narras*“ est eius, qui cum stomacho et fastidio quodam alterius orationem refutat; ut apud eundem Cic. de Orat. I, 23.: „Quem tu mihi, inquit Mucius, Staseam, quem peripateticum narras? Gerendus est tibi mos adolescentibus, Crasse, qui non Graeci alicuius quotidianam loquacitatem requirunt.“ et Verrin. IV, 39.: „Respondetur ei, senatum non permittere; poenam capitis constitutam, si iniussu senatus quisquam attigisset; simul religio commemoratur. Tum iste: Quam mihi religionem narras? quam poenam? quem senatum?“ Viderit igitur Graserus, quomodo suam explicationem cum illa oratione conciliet. Iam quum Virgilius Aeneam ab Iunone agitatum fingat, necesse videri poterat hanc ab illo ex Quam igitur ille Iur

laesit? scilicet nullam; ita enim loquuntur Latini; i. e. quo tandem modo laesit Iunonem? nempe nullo. Ergo quum Virgilius scribit, *quo numine laeso impulit*, non illud quaerit, quid potissimum fecerit Aeneas, quo laeserit Iunonem, sed hoc significat: nullo modo laesam esse ab Aenea Iunonem. Itaque si pedestri oratione utaris, hunc fere in modum sententiam poetae exprimas: Dic, Musa, quonam tandem modo Iuno laesa ab illo fuerit, aut si non fuerit laesa, (ut non fuit) qui dolor eam exasperaverit," *cet.* Huc etiam spectant illa *Insignem pietate virum;* quo enim tandem modo suspicari licuerit Iunonem laedi potuisse ab homine pietate ceteros superante? Ergo poeta statim illud addit *Quidve dolens*; nimiram omne Iunonis, quo in Aeneam ferebatur odium ex illo dolore quasi fonte manabat, quod eum sciebat regnum conditurum, unde suae Carthagini pernicies esset ventura. His ita expositis si erit, qui meliora excogitaverit, primus mea ipse repudiabo. Sed illud etiam atque etiam moneo, ne vocabulum numinis ad falsas significationes detorqueatur.

Versus 25 — 28. multi παρενθίτους esse iudicant; quod ego ac Wunderlichius parum recte fieri censueramus; redit Graserus ad superiorum interpretum sententiam. Atque ego quum in his insignem quendam dicendi ardorem agnovissem, Graserus nihil videt, nisi quandam in dicendo negligentiam; et hoc est eodem iudice: rem subtilius tractare atque elegantius. Iudicent alii. Id quidem apertum est, si *super* pro adverbio accipitur, quod suadet ipse positus et fuga ambiguitatis, quod vitium diligentissime vitant veteres scriptores, nihil invenustius esse aut magis inelegans illa Graseriana ratione. Ac facile apparet verba *Necdum exciderant* nihil esse, nisi poetice variatum illud *memor*, quod vs. 23. legitur; itaque hunc esse poetae sententiam: „ad metum antea commemoratum accedebat memoria veteris belli causarumque eius, iudicii Paridis, tum rapti Ganymedis; quibus rebus magis etiam accensa, quam illo dolore, (acrius enim mordet ira, quam dolor) iactabat toto mari Troianos." — Vs. 35.

Vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant.

Pristinam tuetur Graserus interpunctionem *Vela dabant, laeti et sp.* Ita *laeti* in principio proximi enuntiati collocatum necesse est habere aliquid ponderis. At nihil veteres poetae (id quod sexcenties incalcat Bentleius in Notis ad Terentium) magis vitiosum duxerunt, quam ea, in quibus maior esset quaedam vis, praeter aliquam necessitatem delitescere in thesi, maxime accedente elisione. His in rebus magna pars cernitur illius artis, quae Terentio Virgilioque prae ceteris a veteribus scriptoribus tribuitur. — Vs. 48. sq.:

Et quisquam numen Iunonis adorat
Praeterea, aut supplex aris imponet honorem.

Grasero non videtur spernendus Coniunctivus *adoret — imponat.* Vellem saltem exemplum aliquod attulisset, quo probaret locum fuisse in tali oratione Coniunctivo. Nempe Indicativum haec flagitant, id quod videre haud magni est acuminis. Significatur enim tali oratione, fieri quidem id, de quo agitur, sed illud mirum esse, quod a quoquam fiat. Iam illud *fieri ita,* ut debet, per Indicativum exprimitur, mirum autem esse, per formam enuntiati interrogativam et per pronomen *quisquam,* quo, quia natura sua negativum est, indicatur, suspicandum potius esse id non fieri.

Haec autem ab ea, quam institueram, disputatione abhorrentia cur adderem, duas habebam causas, unam, supra commemoratam, quod argumentis etiam demonstrandum erat, me prope nihil ex Censuris istis didicisse, quod utile esset ad Virgilium vel a mendis liberandum vel melius intelligendum; alteram, ut, qui posthac ad recensendam editionem meam accedent, eos admonerem, ut maiore cum diligentia ac subtiliore acumine, fortasse etiam animo aequiore, expenderent ea, quae scripsi, idque meminissent, multa me, maxime in Varr. Lectt., ita disputasse, ut, quum doctioribus scribere me scirem, quaedam, ubi id recte fieri posse videretur, ipsorum ingenio invenienda ac videnda relinquerem.

Sed quum sint non pauca, quae vel addita velim vel explanatius dicta, inhibendus iam est stilus et compescendus vel invito impetus scribendi. Interim illud laetabor, si Tu, Eruditissime Groebeli, quo nemo facile acutius his in rebus videt, nec illa, quae supra disputavi, improbanda duxeris, et hoc, quod iam exhibeo, specimen novae editionis Virgilii ita comparatum esse iudicaveris, ut ea editio discentibus recte commendari possit.

Vale, meque, ut facis, amare perge.

P. VIRGILII MARONIS POLLIO.

ECLOGA QVARTA.

ARGVMENTVM.

Ingentibus malis afflicta erat tota Italia primum ex agrorum divisione (cf. Ecl. I.), tum ex inimicitiis inter Antonianos et Octavianum agitatis ortoque inde sub exitum auctumni a. p. U. c. 713. bello Perusino, denique ex fame atrocissima, intercluso omni per classes Antonianas commeatu. Tanto maiorem laetitiam attulit foedus Brundusinum, auctumno a. 714. ictum, quo restituta est inter Antonium et Octavianum concordia. Adhibuerat Antonius ad componendam illam pacem Asinium Pollionem. Is paulo post Romam reversus consulatum iniit, sub idemque tempus filium sustulit. Obtinuerat iam antea fama, novam instare mundi aetatem. Quum autem Italia Pollionis maxime opera ex miseriis suis emersisse videretur, ita per Eclogam IV. poeta consulatum Pollioni gratulatur, ut eum tamquam auspicem et ducem novae istius aetatis novique rerum ordinis praedicet atque in huius rei signum puerum ei natum esse auguretur.

Sicelides Musae, paullo maiora canamus!
Non omnis arbusta iuvant humilesque myricae:
Si canimus silvas, silvae sint consule dignae.
Ultima Cumaei venit iam carminis aetas,
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo;
Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam nova progenies coelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave, Lucina; tuus iam regnat Apollo.

---

1) *Sicelides:* pastoritii carminis praesides; Sicilia enim, patria Theocriti, bucolici carminis arte exculti parens habetur. Bion. Idyll. XV, 1. et Mosch. III, 8.: Σικελικαὶ Μοῖσαι. — 2. sq. Non omnium personis dignum hoc carminis genus; itaque carmen, cui tanti viri nomen inscribendum est, ita sit comparatum, ita supra vulgarem modum elatum, ut ne dedeceat viri summi, Consulis, dignitatem. — 4. *Ult. Cum. carm. aetas:* adest iam decimi, aetatis aureae similis, saeculi initium, a quo, post novem exacta saecula, novum saeculorum ordinem proditurum cecinerat Sibylla Cumana. — 6. *Virgo*, Astraea s. Justitia, Δίκη. Ovid. Met. I, 149. sq. Georg. II, 473. sq. — *redeunt* pro repetenda copula: „redit *et* Virgo *et* Sat. regna;" ut Aen. VII, 327. VIII, 91. XI, 169. XII, 548. Soph. Antig. 296.: „ΤΟΤΤΟ ΚΑΙ πόλεις τοῤῥεῖ, ΤΟΔ' ἄνδρας ἐξανίστησιν δόμων." ib. 673.: 'ΑΤΤΗ πόλεις Τ' ὄλλυσιν, 'ΗΔ' ἀναςάτους οἴκους τίθησιν." — Saturno in Italia regnante aureum saeculum fuisse credebatur; Tibull. I, 3, 35. sqq. Ge. II, 538. — 7. novum et melius hominum genus deorum beneficio existet. — 8. *puero*, Gallo, Asinii filio. — *quo*, repete *puero*, οὗ παιδὸς ὄντος. — 9. *gens aurea*, Cic. de Nat. Deor. II, 63.: „ab illo aureo genere, ut poetae loquuntur." Hes. Ἔργ. 109. Theocr. XII, 15.: χρύσειοι ἄνδρες. cf. Ge. II, 538. — *mundo*, orbe terrarum. — 10. *Lucina*, [illegible] centibus adesse putaretur;

Teque adeo decus hoc aevi, te consule inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses;
Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri
Inrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deum vitam adcipiet, divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
Errantis ederas passim cum baccare tellus
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum.

---

eadem credita, quae Diana, soror Apollinis; hinc *tuus*, frater. Servius: „Ultimum saeculum poeta ostendit, quod Sibylla Solis esse memoravit.“ Discretum autem prius Solis et Apollinis numen postea saepe confusum est. — 11. *decus h. aevi*, praeclara haec aetas, *inibit*, incipiet. — 12. *magni menses*, illustres, memorabiles, utpote saeculi aurei. — 13. *Te duce*, a tuo inde consulatu. — *sceleris*, puta, pristinae discordiae civilis. — 14. *Irrita*, abolita liberabunt genus humanum form. — 15. *Ille*, puer, aget vitam deorum et inter deos heroesque. Hes. Ἔργ. 112. sqq. Ovid. Fast. I, 247. sq. — 17. Ad summos in pacata ac denuo confirmata republica honores olim evectus iisdem, quibus pater splendet Pollio, virtutibus eam gubernabit. — 18. Felicitas aureae hujus vitae initia capiet cum pueritia Galli, incrementa (vs. 26. sqq.) cum adolescentia, consummabitur (vs. 37. sqq.) cum virili eiusdem aetate. — *nullo cultu*, uti omnia in aureo saeculo nascebantur; Hes. Ἔργ. 117. sq. Ovid. Met. I, 109. sq. — 20. *ridenti*, coloris pulchritudine oculos delectante. — 21. *Ipsae*, sponte, nullo ducente; ut paullo post *Ipsa*, nullo serente. — 23. *blandos*, sive colore, sive odore gratos. — 24. *herba veneni*, i. e. venenata. — 25. amomum in Armenia et Media nasci trad[illegible] nomine saepe plagae orie[illegible]

At simul heroum laudes et facta parentis
Iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus,
Molli paullatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et durae quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
Quae tentare Thetim ratibus, quae cingere muris
Oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo
Delectos heroas; erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces; omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
Robustus quoque iam tauris iuga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores,
Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto;
Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.

---

les a poetis appellantur. — 26. *simul* i. q. *simulac*. — 27. *quae*, qualis et quanta sit illorum virtus. — 28. *flavescet*, sponte scilicet, *molli ar.*, laevi et glabra, non acutis quibusdam acubus vallata. — 30. putabatur mel aurea aetate roris modo de foliis quercuum stillasse; Ge. I, 131. Ovid. Met. I, 112. — 32. sqq. Similis erit haec aetas heroicae. *Thetim*, mare; Ovid. Met. I, 94. sqq. Tibull. I, 3, 37. — 39. *omnis f. o. t.*, itaque ne opus quidem erit navigatione; omnia enim domi nascentur. — 42. *mentitur l. col.*, utpote non suos referens, sed quibus tincta est. — 43. Oves iam carpent feliciores herbas, et ita fiet, ut inter pascendum sponte trahant eos colores, qui summo in pretio habentur. Murex, lutum, sandyx, mera hic sunt colorum nomina, non herbarum. — 46. Proprie fila [illegible]runt de colo; sed quod Parcarum filis fata continentur, prop-

Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcae.
Adgredere o magnos — aderit iam tempus — honores,
Cara deum suboles, magnum Iovis incrementum!
Adspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque tractusque maris coelumque profundum,
Adspice, venturo laetantur ut omnia saeclo!
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,

---

terea ipsa saecula decurrere dici poterant; cf. Catull. LXIV, 327. sqq. — 47. Concordes in definiendis et quasi assignandis suis cuique vel homini vel rei fatis, lege divina quadam constitutis. — 48. vid. ad vs. 17. not. — 49. deorum soboles puer iste haberi poterat, quod divinam quandam accepisset mentem; cf. vs. 7. Sed quorum deorum soboles? ipsius scilicet Iovis; sic enim totum genus interdum pro singulis ponitur, ubi minus refert, qui sit ille, (i. e. quod sit eius nomen, quem significamus,) quam qualis sit; dei scilicet alicuius, non mortalis patris, filius. Aen. VI, 322. de Aenea: „Anchisa generate, deum (*Veneris*) certissima proles." Dei antea sic obscure significati nomen ipsum similiter subiicitur Aen. I, 4.: „Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram." adde Aen. XI, 784. sq. Videtur confirmare hanc explicationem auctor Ciris, parum scite Virgilium imitatus, vs. 397., ubi Dioscuri vocantur „Cara Iovis suboles, magnum Iovis incrementum." Incrementum autem est nova proles, quae iam accessit ad numerum filiorum Iovis; ita *incrementum* de novorum militum accessione Curt. V, 1, 39.: „Ceterum, quo minus damnum sentiret exercitus, identidem incremento novabatur." Iovis autem filius Gallus existimari poterat, ut Augustus Apollinis. — 50-52. Mundus, *convexus* a coeli omnia complectentis specie dictus, tamquam numinis adventu et apparentia, (ut hoc utar vocabulo) quemadmodum fiebat in ἐπιφανείαις θεῶν, movetur, nutat, quod laetum est ac faustum signum; apparet autem id fingi animo a poeta. Mundi notio explicatius exprimitur per vs. 51.; et per voc. *omnia* vs. 52. comprehenduntur, quae vs. 51. singula sunt commemorata. — *Terrasque*, ut Ge. I, 153. 164. 352. Aen. IV, 146. IX, 767. *cet.* — *laetantur*: observa Indicativum in eiusmodi interrogatione, *Adspice ut*, *Viden ut*; Ecl. V, 7. — 53. Longam sibi optat vitam poeta, ut sub extrema eius tempora, quum ille vir factus fuerit, gloriam

Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta:
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Linó formosus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses;
Incipe, parve puer: cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

---

tam canere sibi contingat. — 54. *Spiritus*, ingenii vis vigorque poeticus. — 58. *Arcadia*, Ecl. X, 26. — 60—63. Incipe risu matri significare, eam a te cognosci; meruit hoc de te, ut eam risu tuo exhilares; incipe ergo tuo risu parentes ad mutuam arrisionem provocare. — *decem* menses significant tempus, quo exacto gravidae parere solent. — 63. Spectant haec eo, quod hic puer aliquando inter heroes et deos locum habiturus est; cf. vs. 15. sq. et 49.

Pag. 4. lin. 12. *accipiant*, lege *arripiant*.
- 6. - 26. *selectae*, lege *selecta*.